DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

HEPATE

COMPLECTENS.

7

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE
HEPATE
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS CAREY OSBURNE,

Hibernus.

"How many things must go right for us to be an hour at ease!"
"How many more for us to be vigorous and active!"

PALEYS Natural Theology.

Die VIII *ante Kalendas Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.

MDCCCIX.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

JOANNI MINTON,

ARMIGERO

DE SPRINGVILLE,

IN COMITATU CORCAGIENSI,

S. P. D.

Utinam, mi amice, possem dicere quantum tuae debeam amicitiae, et quàm aestimem. Res singulae per totum vitae decursum hanc mihi obtulere. Verbis tamen assequi eas opiniones te solo ortas omnino nequeam. Fuimus unà felices; et, cùm non detur, ut in posterum unà simus, et eâdem familiaritate quae mihi tantopére profuit utemus. Superis cedamus oportet. Diù vivos ut hucusque dilectus, precor, natique senectuti tuae solatium afferentes, patrem virtutibus aequant, accipe haec vota sincera amici carissimi, qui sperat, sic se-ipsum gerat, ut dignus quem amicorum primum, aut in primis, habeas. Vale. Octavo Calendarum Julii, Edinburgi.

NECNON

HENRICO OSBURNE, M. D.

PATRI CARISSIMO

AMICOQUE

DILECTISSIMO.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

HEPATE

COMPLECTENS.

AUCTORE THOMA CAREY OSBURNE.

PROŒMIUM.

INTER viscera corporis maxima hepar jure habendum est; hoc organum prae visceribus aliis omnibus amplum insigneque, summo cum toto systemate consensu reverâ gaudet. Bilis secretioni jecus inservit, hocque fluidum in intestina ritè delatum, in oeconomiâ animali munere sanè gravi fungitur.

DE SITU FORMA NEXUQUE HEPATIS CUM VISCERIBUS PROXIMIS.

Hepar partem abdominis foetûs majorem replevit; foetu autem in luce edito, viscus de quo agitur, vel ob incrementum ejus impeditum: vel, quibusdam judicibus, ob molem lobi sinistri per quem pars sanguinis longè major è placentâ rediens in foetu circuitum fecerat, sensim diminutum, minus spatii occupat; situmque plus minusve diversum et ineunte, et provectiore aetate, pro formâ regionis abdominis viscus continentis habet. Mox sub septo transverso in regionibus abdominis Hypochondrio Epigastrioque positum hepar, cavitate thoracis aut naturâ aut arte arctiore factâ, in hypochondrium sinistrum porrigitur, interdumque etiam regionis umbilicalis partem tenet. Quin et, jecur superficie superiori et convexâ et levi, superficie verò inferiore et inequali et concavâ, margineque anteriore à sinistrâ tum tenui, tum acuto, à dextro cum lato tum crasso gaudet. Musculi abdominis, qui ad viscera reliqua sustinenda optimè valent, ligamentaque propria, jecur in loco suo ritè tenent.

Tunicam autem hepatis, quae à peritineo originem ducit, ligamenta praecipua ei praebere necnon observare lubet.

Superficie hepatis superiore septum transversum arctè premente, peritoneum ab illâ ad hoc extenditur, et haec inflexio ejus membranae, formâ oblongâ quidem gaudens, ligamentum coronarium nuncupatur, attentionemque medici sibi vindicat, propterea quod unum ex signis hepatis morbosi pathognomonicis sanè ostendit. Membranae ejusdem duplicatura à parte septi transversi mediâ cartilagineque sterni ensiformi, ad marginis hepatis anterioris disjunctionem, fossam dictam, pergit dein retrotendens usquedum cum ligamento coronario, prope venae cavae transitum, coit, et huic nomen ligamenti lati inditum est.

Ligamenta lateralia quae ortum à peritoneo ducunt, latere dextro cum septo transverso, latere autem sinistro cum eodem septo, oesophago, lieneque hepar connectunt. Ligamentum hepatis alterum pro tunicis venae umbilicalis corrugatis sanè haberi, scriptores anatomici nos certiores faciunt.

In superficie superiore ligamentum latum hepar in lobos duos, dextrum videlicet sinistrumque dividit, eosdemque lobos, fissura, quae à fossâ umbilicali ligamentum rotundum continente, retrotendit, in superficie inferiore clarè distinguit. Lobulum spigelii inter lobos supradictos spinam versus situm, nexum autem arctiorem cum lobo dextro habentem invenimus. Lobulus hicce fissuram transitum venae cavae praebentem latere dextro format, latere verò sinistro fissuram alteram relinquit, per quam ductus venosus in foetu iter fecerat; supraque fossam magnam transversam Vena Portae sibi cursum legit.

Lobulus spigelii suprà, dextramque versus, interventu processûs caudati, inter fissuras venarum cavae portaeque siti, lobo hepatis dextro adhaeret. De lobulo altero, anonymo nempe in libris anatomicis legimus; hunc verò lobulum pro lobi dextri mucrone anteriore haberi existimatur. In superficie lobi magni hepatis inferiore sulcos colo renique dextrâ, sinistrâ verò ventriculo coloque consentaneos observare liceat.

DE VESICA FELLEA.

Vesica fellea superficiei lobi magni inferiori (parte processûs caudati anteriore) arctè adhaeret, modo quo in substantiâ visceris partìm abdita jaceat. Ad fluidi unciam capax, figurâ pyriformi gaudet. Quod ad tunicas vesicae fellis quidem attinet, tres, peritonealem videlicet vasculosam internamque enumerare lubet; fibras verò musculosas scalpellum adhuc minimè palam fecit. Tunica hujus vesicae interna rugis perplurimis scatet; harum rugarum cellulae folliculis mucosis plenae, fluidum mucosum effundunt, quod superficiem vesicae internam et illinit et à bile irritante defendit.

Ductus cysticus munus duplex praestat, transitum nimirum bili ex hepate in vesicam praebet, fluidumque idem deinde in intestinum per eum devehitur. Apud collum vesicae initiumve ductûs, tunicae internae rugae formam semilunarem induentes, valvulae officio fungi videntur, eademque fabrica per cursum ductûs totum valet.

Vesicam * felleam bilem sui generis secernere olim fuere qui contenderunt; cavitatem veruntamen hancce domicilium felli in hepate secretae solummodò praebere, nunc satis compertum experiendo habemus. Quin et, anatomici quidam, bilem itineribus aliis in vesicam accessisse, ramulos videlicet ductûs hepatici extremos cum hoc receptaculo statim communicavisse, sibi metipsis persuasum habuerunt. Albinum in hanc sententiam pedibus manibusque iisse insuper observandum est.

Verum enimvero communicationes ejusmodi injectionibus anatomicis ratas nequaquam adhuc habemus, ideoque de iis animum suspensum tenere liceat.

DE VASIS HEPATIS.

Quod ad vasa hepatis quidem pertinet, viscus hocce quinque generibus vasorum diversis, arteriâ scilicet hepaticâ, venis cavis hepaticis, vena portae, ductibus biliariis, lymphaticisque in-

* C. Bell, Vol. IV.

structum esse observare velim. De his verba ordine facienda sunt.

ARTERIA CAELIACA.

Circiter vertebram dorsi undecimam ex aortâ oritur, angulumque rectum cum hâc vertebrâ, inter oesophagum, lobulum spigelii et arcum ventriculi parvum ferè constituit, semipolliceque longitudine expleto in ramos insignes tres dividitur. Ex his, ramus unus in foetu maximus dextrorsùm ad hepar pergit, alter in adultâ aetate insignissimus sinistrorsùm lienem versus tendit, et tertius mediusve semper minimus, nisi ramos ad hepar miserit ventriculum petit.

Arteria hepatica prope lobuli spigelii apicem antrorsùm sursùmque paulisper ascendit; dein sub pyloro pone omentum minus cursum tenet ramisque insignibus ad ventriculum, pancreas, duodenum, arteriis videlicet duodenale, gastricâ, et aliis missis, pollices circiter duos prius ad hepar quam pervenerit, in ramos duos insigniores dividitur. Hi autem ad portam iter tenent, substantiamque hepatis penetrant, quâ venae intrant, ductusque egreditur hepaticus.

Ramus dexter sub ductibus biliariis transit, arteriaque cystica emissa, in substantiam hepatis introit. Arteria verò cystica, ramis plurimis in tunicas vesicae pulcherrimè distributis, substantiam hepatis etiam intrat. Ramus sinister minor (praesertìm quando rami à gastricâ ad hepar mittantur,) super venam portae cursum tendit, et per fossam umbilicalem ingressus, lobo sinistro, lobulis spigelii anonymoque sanguinem suppeditat. Quandòque gastrica ramos impertit, idem ordo conservatur, preterquàm quod truncus per arcum parvum revertens, ventriculum relinquit, substantiamque hepatis ingreditur. Praeter haec vasa praecipua, trunci quidam alii, mammariae videlicet internae, arteriae epigastrica spermaticaque tunicis hepatis ramulos dant: hos verò minoris facimus.

DE VENA PORTAE.

Vena splenica, venae gastrico-epiploicae et meseraicae, venae etiam colicae, venaque haemorrhoidalis internae, ab extremitatibus arteriarum et caeliacae et mesentericarum ortae, tresque in ramos magnos coalescentes iter sursùm obliquè

tenent. In cursu earum cum venis minoribus diversis coëunt, tandemque truncum insignem, venam portae dictum, ob eminentias duas parvas, utroque latere illius partis hepatis, quâ intrat, sitas, constituunt. Vena portae telâ vasorum hepatis aliorum et inaequali et reticulatâ, inclusa, sursùm, dextramque versus obliquè transit, portamque sinumve, inter processum caudatum lobulumque spigelii ingreditur. Vena portae in substantiam hepatis ingressa in ramos duos praegrandes dividitur, qui transversè currunt, cylindrusque hepatis nuncupantur, ramus dexter capacior et brevior in ramulos innumeros per lobum dextrum dispertitur. Sinister longior, fissuramque transversam implens, umbilicalem versus nec non reflexus, ad lobum sinistrum partesque lobi dextri anteriores et superiores impenditur.

Venae portae ramuli per substantiam hepatis quoquoversùm distributi, cum venis superficiei à peritoneo derivatis commercium habent, venarum cavarum hepaticarum extremitates, sanguinem post bilem secretam recipiunt. Hae autem venae communicationibus mutuis frequen-

tissimis gaudent. Hinc ratio patet quare anatomici haud pauci commercium familiarius ac in partibus corporis aliis inter haec vasa existere sese persuasos habent.

DE VENIS CAVIS HEPATICIS.

Vasa haecce ab extremitatibus arteriae hepaticae, venaeque portae per substantiam hepatis totam ortae, in canales majores et majores gradatim coeunt, tandemque duos, interdum etiam tres truncos insignes formant, qui in venam cavam ascendentem septum transversum perforaturam sese exonerant.

DE DUCTIBUS BILIARIIS.

Venae portarum ramuli extremi duplice modo terminantur; sanguinem videlicet omnem ad bilem praebendam haud necessarium, in venas hepaticas infundunt, ope quarum ad cavam ritè transit. Terminatio horum vasorum altera, ad munera eorum propria rationem habet. Ramuli etenim perplurimi in ductuûm biliariorum extremitates desinunt. His autem poris biliariis nomen est. Pori verò biliarii canales subtilis-

simi, particulis sanguinis rubris transitum denegant. Gradatim veruntamen concurrentes, pororum diametros major evadit, truncique diversi venis haud dissimiles, latere utroque hepatis ritè formantur. Illi autem trunci, ramo venae portae dextro adhuc devincti, ductum hepaticum constituunt, ductusque hicce paulisper extra fissuram hepatis transversam progrediens, ductum cysticum angulo acuto dextram versus recipit.

Ductus autem cysticus hepatico multùm angustior, prope amplificationem ejus in vesicam deorsùm subitò deflectitur. Ductus communis choledochus hoc modo dilatatus iter deorsùm sub caput pancreatis pone duodenum, pollices circiter quinque à pyloro tenet. Duodenique tunica musculosa perforata inter eam tunicasque intestini alias paulisper currit, plicisque valvularum tuberculum quoddam constituentibus, ductum pancreaticum recipit.

DE LYMPHATICIS HEPATIS.

Vasa hepatis lymphatica, arte anatomicâ nobis ante oculos facillimè versantur, canales eo-

rum extremi, hydrargyrum promptiùs ac in partibus corporis aliis recipiunt. A substantiâ hepatis totâ, at potissimùm à ramis ductûs hepatici diversissimis orta, in vasa profunda vasaque exteriora dividuntur. Vasa autem haecce omnia, tùm profunda tùm etiam externa commercia liberrima sanè habent. Vasis externis innumeris injectis, hydrargyrus partes superficiei diversas prorsùs obtegere videtur. Vasa de quibus loquimur per ligamentum latum emergentia, septum transversum causâ ductum thoracicum petendi perforant; interdum verò in ductum priùs è cavitate quàm exit, desinunt, interdum etiam, cursum suum per ligamenta lateralia dirigentia diaphragma pervium faciunt.

Lymphatica superficiei hepatis inferioris cursum haud aequè rectum sibi legunt. Vasa profunda per sinum portarum egressa, cum iis coëunt, vasaque et profunda et externa hoc modo juncta, apud radicem arteriae mesentericae superioris in ductum sese deplent. Vasa haecce, ut in partibus corporis aliis, valvulis bene instructa, fluidis contra pulsis replere penes anatomicum est. Ratio, in fallor, patet, communi-

cationibus, videlicet, lateralibus numerum valvularum transeuntibus hydrargyrus, itinere partìm retrò, partìm per ambitum facto, ad plexum vasorum absorbentium pervenire potest, pari ratione ac funis spermatici vasa injici.

DE NERVIS HEPATIS.

Nervi et hepatis et viscerum abdominalium aliorum superiorum à plexu caeliaco originem ducunt. Rami verò è nervis splanchnicis, pari vago, et etiam nervo splenico plexum huncce constituunt. Arteriae caeliacae incumbens è gangliis minoribus diversis constat, cursumque arteriae sequens, nervos hepati, ventriculo, pancreatique impertit. Illi vero nervi, nominibus diversis, pro visceribus ad quae adeunt diversis, signantur. Nervi hepatis latere dextro per duos plexus oriuntur. Ex his unus venam portae, ductus biliarios, arteriamque hepaticam, ad latus jecoris dextrum vesicamque fellis comitatur, ramulosque diversos, cursu ejus ad extremitatem stomachi minorem mittit. Plexus verò arteriae hepaticae alter, ad latus sinistrum sese comitem

praebet, nexumque cum nervis cardiacis habet.

DE FABRICA HEPATIS INTERNA.

Vasorum omnium de quibus verba fecimus, ramuli subtilissimi congesti, hepar componunt; hos verò ramulos duplicatura peritonei, per quam arteriae venaeque sparguntur, cingit. Quin et, inter vasa super hanc membranam sparsa, vasaque interna probè distinguendum est. Communicationes generum vasorum hepatis diversorum injectiones feliciter propulsae satis manifestas reddunt. Waltherus veruntamen, qui in hepatis studium diligentissimè incubuit, in quidcunque vasorum genus hydrargyrum propulerat, quovecunque in loco scalpellum adhibuit, se, aut cursum, aut osculum vasis cujusvis, nunquam indagare, nos ritè docet. At in praeparationibus madidis, ramulos arteriae hepaticae in ramos venae portae iniisse, ramulosque hujus venae in venas hepaticas ductusque biliarios desiisse observavit. Quod ad ramorum arteriae hepaticae terminationes quidem pertinet, anatomicus expertissimus in errore versari potuisset, idcirco quia ramuli

minores hydrargyro repleti, in truncos majores transire facilè potuissent *, anatomicique alii omnes de fabricâ hepatis glandularumque secernentium propriâ internâque prorsus silent, Malpighius et Ruyschius, tùm de distributione arteriarum venarumque tùm de origine et lymphaticorum et ductuûm excretoriorum in contrarias partes disputavere.

Ille, ramos venae portae extremos in corpuscula parva acinos dicta desinere, porosque biliarios ab iisdem corpusculis originem ducere, strenuè contendit; hic verò, primò in eâdem sententiâ fuit, dein autem Malpighio adversabatur, corpusculaque haecce ex arteriis convolutis constare, quae convolutionibus diversis factis in ductus excretorios, substantiâ nullâ interveniente desinunt, vasaque et ductus juxta positos esse, injectionibus anatomicis probare conatus est.

In has sententias contrarias anatomici huc usque distrahuntur; plerique verò Ruyschio assentiuntur; opinio veruntamen hujus anatomici peritissimi, conjecturâ potiùs quam probationibus,

C. Bell, Anat. Vol. IV.

me judice, nititur. Fabricam verò hepatis sententiam tùm Malpighii tùm Ruyschii plus minusve verisimilem reddere, facilè agnosco : at de hâc re nihil pro certo habemus, ideoque lites de structurâ hepatis verâ anatomicis peritioribus dirimendas ne invitè quidem linquimus.

DE SANGUINE CIRCUITUM IN HEPATE FACIENTE.

Sanguis et arteriosus et venosus magnâ diximus copiâ per hepar circuitum facit; hinc ratio patet, quare physiologi quidam sanguinem tùm arteriosum cùm venosum aliquod ad bilem formandum necessarium praebere, evincere nisi sunt. Doctrinam hancce argumentis sequentibus talibusque stabilire conantur. Arteriae hepaticae amplitudinem sententiae eorum subsidium ferre contendunt. Pulmones arteriis bronchialibus parvis ritè aluntur. Quâ ratione igitur, arteriae hepatis ab illis, amplitudine tàm insigniter discrepant? At fas est nobis pro nostrâ parte quaerere, an arteriae bronchiales ad pulmones totos nutriendos valent? Aliter quidem sentio, propterea quod rami arteriae pulmonalis minores, aëri oblati,

munus arteriarum praestant, ideoque ad pulmones sustinendos idonei evadunt.

Quin et, adhaesiones inter pulmones pleurasque, inflammationi saepiùs superveniunt; hisque in exemplis, adhaesiones ipsae vasculosae fiunt, vasaque earum injectionem per arteriam pulmonalem propulsam, facilè recipiunt. Quoniam verò sanguis in hoc statu rerum ex arteriâ pulmonali in haec vasa recentiora migrans, his membranis alimento necessario est, sequitur, ni fallor, alimentum pulmonibus non ex arteriis bronchialibus solummodò, at partìm etiam fonte quodam alio, suppeditari, ideoque similitudinem nullam quoad nutrimentum visceribus hisce cum hepate inesse.

Causâ eandem opinionem probandi, auctores ad nexum evidentem inter arteriam hepaticam ductusque biliarios confugiunt, argumentum verò hocce, me judice parum valet, idcirco quia venis hepaticis et cum arteriâ et cum venâ portae communicantibus, fluidum tùm per arteriam in venam, tùm è venis in portam, penes nos est injicere.

Quod ad arteriae amplitudinem quidem pertinet, si vires insignes quibus hepar in munere

ejus proprio fungendo pollet, in animo ritè perpendamus, hoc phenomenon solvere nec opus, nec labor erit. Legibus etenim oeconomiae animalis prorsùs consentaneum est, organa corporis omnia pro viribus ad sua officia peragenda necessariis nutrimentum recipere.

Verum enimvero, historia anatomica maximi momenti Joanni Abernethy chirurgo Londinensi in commentaria medica relata, opinioni nostrae primo aspectu adversari videtur. Anatomicus hicce peritissimus cadaver virgunculae decem menses natae secuit. Inter lusus naturae alios, ramus è coeliacâ ad hepar emissus arteriâ splenicâ triente capacior auctori nostro ante oculos versatur; vasque hocce et hepar nutrivit, et sanguinem ad bilem secernendam praebuit, vena etenim portae cursum longè alium ac per jecur sibi legit; in venam cavam prope venae emulgentis terminationem reverâ desiit. Hepar verò mole debitâ gaudens, in parte superiore mediâque abdominis situm habuit. Vesica fellis formâ naturali gaudens locoque proprio posita collapsa fuit, circiterque semicochleare parvum bilis colore flavo praeditae, at bile communi mitioris nause-

amque haud aequè excitantis continuit. Arteriam bilem hancce secrevisse nemo equidem dubitet: at dotes bilis proprias in eâ parùm inesse, satis superque constat; minus acris minusque stimulans, parcissimè secreta fuit, et etiamsi in aetate hujus infantis tenerrimâ, ad munera sua absolvenda valuisset, in stadiis vitae provectioribus inepta evasisset, propterea quod secretio plenior in stadiis hisce procul dubio necessaria est.

In foetu sanguis bilem praebens partìm arteriosus, partìm venosus est, eâque de causâ, hoc fluidum viribus stimulantibus parùm praeditum est; sanguine autem post partum iter aliud sibi legente, bilis acrior rapidiùs et copiâ majore secernitur, quae ad viscera abdominalia omnia in actionem debitam cienda ritè valeat; at, an mutatio haecce insignis, vel dotibus sanguinis variatis vel transitui ad cor liberiori attribuenda sit, nec ne, minimè adhuc in aperto est.

Hisce propositis, sequitur ut inter hepar organaque omnia alia secernentia, hoc maximè intersit, quod venae prae arteriis illi fluidum secretionem praediturum suppeditant, at de mutationibus quas sanguis circuitum per viscera chylopoie-

ticae faciens subit, in altâ caligine adhuc versamur, nec è tenebris illicò me judice emergemus.

Sanguinem mutationem hancce et insignem et necessariam in liene subire, sunt qui contendunt, causâque hanc opinionem vel corroborandi vel repellendi Gulielmus Saunders, M. D. medicus Londinensis eruditissimus, experimenta diversa fecit. Sanguinem ab arteriâ venâque splenicâ detractum testibus idoneis periclitatus est, fluidumque semper dotibus parùm diversis gavisum est. Rebus ita sese habentibus, lienem è cane, vitâ superstite, abstraxit; paucos infra dies et hunc et alterum canem laqueo interemit, bilisque et unius et alterius, chemicis testibus accuratissimis tentata, indolem eandem examussim ostendit. Experimentis hisce benè perpensis, lienem hepatis functionibus minimè inservire, Doctor Saunders ut credat adducitur.

Quin etiam, nexus inter venae portae extremitates porosque biliarios nos aequè latet; bilem attamen in extremitatibus hisce secerni, inter physiologos plerosque convenit. Ad dotes hujus fluidi investigandos nunc transeamus oportet.

DE BILE.

Ductus biliarii ortum è poris biliariis ducentes, canales subtilissimi sunt; vasa veruntamen haecce minutissima sensim conjuncta, ramos capaciores formant. Hi autem rami in duos truncos insignes unum ad lobum jecinoris dextrum pertinentem, alterumque ad lobum sinistrum, coëunt; hi autem trunci ductum hepaticum denique constituunt.

Bilem per hunc canalem transeuntem, mutationem quandam ab hepatis absorbentia perplurima, subire, verisimilius est; particulis aquosis ritè remotis, fluidum densius acriusque forsan evadit. Bilis cum in ductum hepaticum pervenisset, duodenum versus iter habet, introituque in viscus hocce impedito ad vesicam remeat, ibique manet, usquedum omnia quae cursui ejus obstant remota fuerint.

Bilis in hoc receptaculo inventa sola est quae analysi chemicâ tentatur; fluidum autem breviùs diutiùsve ibi moratur, ideoque et densius, et muco vesicae immisto, tenacius factum, dotes naturae bilis haud necessarias forsitan adi-

piscitur. Bilis primùm prorsùs liquida, postea plus minusve tenacior, pro ratione in vesicâ morae evadit. Tactui subglutinosa, saponaceave, gustui acerrima, odore proprio coloreque luteo-viridi gaudet. Hartmann teste, aquâ ratione 1,027 gravior est, calore à gradu thermometri Farenheitiani sexagesimo quinto, ad gradum septuagesimum quintum adhibito, colorem exuit, multùmque spissior evadit; odor nauseosus ei inest; fragmentaque mucilaginosa subsident.

Inter putredinem subeundam bilis speciem succini prae se fert. Idem liquor calefactus, spissiorque redditus, menses complures mutationem nullam subit*. Bilem cum aquâ proportionibus omnibus commiscere liceat, misturaque colorem viridem adepta, vires alkalinas clarè ostendit. Fluidum de quo agitur, cum oleo vix ac ne vix quidem coït. Calore partibus bilis centenis adhibito, nonaginae in vas recipiens transibunt. Residuum autem colore subfusco gaudens, et deliquescit, et in aquâ facile dissolubile evadit; residuum hocce

* Vauquelin.

aliquandiù conservatum, ambram olet. Calore huic extracto sensim admoto, in elementa redigitur.

In hoc statu rerum aqua gase hydrogenio sulphureto imbuta, primò, dein liquor subfuscus, foetidissimusque, carbonatem, acetatemque ammoniae continens; denique oleum, primùm tenue leveque, postea autem spissum empyreumaticumque, in vas recipiens transeunt. Hisce transitis carbonas ammoniae sublimè fertur. Dein acidi multitudo carbonici, gasia carburetum sulphuretumque hydrogenia, in recipiens transferuntur. Residuum indolem carbonis atri spongiosique induens, aëri expositum, efflorescentiam carbonatis sodae praebet. Residuum hocce in cineres redditum, carbonatem sodae ad dimidium ponderis, aliquantum muriatis sodae, pauxillulum ferri *, phosphatem sodae, phosphatemque calcis dat †.

Acida omnia bilem in elementa vertunt, guttis veruntamen acidi cujusvis paucis solum-

* Cadet. Mem. de'l Acad. de Science, 1767.

† Fourcroy, idem.

modò additis, nihil subsidet; liquorem autem subrubrum adipiscimur. Acido verò largiùs immisto, materia copiosa fundum petit. Acidum sulphuricum concentratum floccos densos separat, coloremque ruberrimum liquori impertit; acidum verò sulphuricum dilutum fluidum perviride reddit.

Acido nitrico cum bile frigidâ commisto, subsidentiam viridem obtinemus; mistura autem calefacta, primò colorem rubrum, dein cinereum induit; partibus verò liquidioribus calore admoto exhalatis, subsidentia colorem aureum assumit, bilisque partìm in acidum oxalicum, partìm in acidum prussicum mutatur. Acidum oxymuriaticum bilem et candidam, et turbidam reddit; idcirco quia, albumen inter bilis alimenta jure (ut infrà videbimus) habendum, coagulat, resinamque ejus in materiam subalbidam sebo similem* vertit.

Verum enimvero curâ ad effectus acidi muriatici in bilem ritè adhibitâ, rationem mutationum, quas fluidum hocce, actione acidorum su-

* Fourcroy.

bit, reddere penes nos optimè foret. Acido bili etiamsi recentissimae addito, mistura gas hydrogenium sulphuretum redolet. Partes acidi muriatici quatuor, bilis centenas cogit; mistura verò aliquot post horas, multùm liquescit, colataque 0,52 materiae subalbidae dotibus ferè iisdem ac albumen praeditum super colum, Cadet teste, linquit. Alcohole, sulphate potassae, acido acetoso, muriateque sodae * adhibitis, materia eadem imum petit. Liquor colore gramineo † gaudens acerrimè sapit. Prunis autem vaporatus colorem perdit, subsidentiaque ad flammam concipiendam proclivis, igne admoto, multo cum fumo ardet. Alcohol hanc subsidentiam solvit. Madida partes 10,8 constituit.

Dotibus hisce ritè perpensis, Chemici Physiologi de hâc substantiâ ut de resinâ bilis commemorant; meque haud poenitet eorum sententiae esse, qui odorem, saporem qualitatesque bilis insignissimas in hâc materiâ inesse, sese persuasos habent ‡. Partibus solutionis bilis muria-

* Ramsay, Thes. inaug. Edin.

† Fourcroy.

‡ Saunders on the Liver.

ticae liquidioribus ritè evaporatis, resinâque separatâ, Cadet salem subdulcem saccharo lactis quoad saporem haud dissimilem, crystallaque trapezoidea praebentem, obtinebat. Thenard* salem hunce testibus chemicis nuperiùs tentavit. Ope acetitis plumbi neutri, salem de quo agimus ab oleo separavit; resinâ videlicet sine materiâ saccharinâ subsidente; subacetite autem applicato, materia saccharina fundum petit.

Materia bilis saccharina et in alcohole et in aquâ solubilis evadit; ad fermentationem subeundam parùm proclivis, igneque subjecto, ammonia nulla elicitur; infuso etiam gallorum admisto, rerum facies haud multùm mutatur. Substantia haecce cum resinâ materiâve oleosâ coalescens, Thenard judice, officium alkalini deficientis ex parte praestat: Resina, soda, materiaque saccharina coëuntes, compositionem ternariam formant, quae quantitate albuminis parvâ, salibusque quibusdam additis, bilem constituunt.

* Nicholson's Journal, vol. xii.

Alcohol bilem eodem ferè modo ac acida afficit, ideoque de actione fluidorum horum mutuâ, fusiùs disserere supervacaneum foret.

Bubulo in felle, Thenard sequentia invenit. Partes bilis recentis 800, praebebat

Aquam ad partes,	700 ;
Materiae oleosae partes,	43 ;
Saccharinae suprà dictae,	41 ;
Animalis,	4 ;
Sodae,	4 ;
Muriatis Sodae,	3, 2 ;
Sulphatis Sodae,	0, 8 ;
Phosphatis Sodae,	2 ;
Phosphatis calcis,	1, 2 ;
Et Oxidi ferri,	0, 5.

DE BILIS USIBUS.

Quod ad usus bilis reverâ attinet, inter physiologos minimè convenit; inter antiquiores veruntamen qui ad hanc rem animum diligenter adhibebant, Boerhaavius jure habendus est. Usum fluidi hujusce praecipuum, alkali quod continet, tribuit, Hallerusque optimus in sententiam Boerhaavii postea descivit. Physiologis prorsùs om-

nibus sensìm idem animus, Scroederque *, ni fallor, huic sententiae modum adhibere primùm conatus est. Pericula veruntamen physiologi hujus etiamsi solertissimè facta, ne lites quidem dirimunt, propterea quod ratione nullâ ad admistionem bilis in duodenum ingressurae cum liquore alio cujus natura nos penitus latet, habitâ, fluida extra corpus solummodò tentabat.

Si experientiae quorundam recentiorum fides habenda sit, bilis per duodenum, sine ullâ mutatione transit. Causâ hanc opinionem stabiliendi, et periculum Doctoris Saunders, et etiam Joannis Hunter celeberrimi nuper defuncti sententia in medium prolata sunt. Duodeno canis, vitâ adhuc superstite aperto, succus pancreatico-cysticus, ne cum alimentis quidem miscens at iis supernatans, illi ante oculos versatur; hic verò asseveravit bilem, ob saporem acerrimum, coloremque eximium, in duodeno quàm minimâ proportione facilè sese manifestam reddere; chylus verò ex duodeno sumptus haud ullam bilis indicationem ei praebebat.

* De bil. virt. experiment. dissert. acad.

Stomachum acidum gignere animus mihi neutiquam pendet, experimentisque Doctoris Ruysh ritè perpensis, dotes easdem et in hoc et in acido acetico inesse, sanè adducor ut credam, bilemque vim alkali insignem continere analysis chemica ritè docet. Rebus ita sese habentibus, an fluida haecce, contra affinitatis chemicae regulas incassum congredi reverâ concludendum est? Rem longè secus esse mihi persuasissimum est, propterea quod, vestigia chyli nulla detegenda veniunt, donec fluidum, à succo pancreatico, bileque compositum, super alimenta iter confecerit; itinereque reverâ confecto, alimentorum massam, chymum videlicet, in portiones duas diversas, unam nempè longè minorem, speciem lactis albidam prae se ferentem, superficiemque massae tenentem, alteramque coloris sublutei, quâ, concoctione ritè peractâ, ciborum diversissimorum naturam nequaquam distinguere possumus.

Quin et, bilis ipsa divisionem subire videtur; pars nimirum ejus albuminosa, salinaque et saporis acris et coloris expers, chylo commisto massam sanguinis petit; pars verò acris quae fluido toti colorem impertit, indolemque oleosam

sibi vindicat, faeces comitatur, stimulum proprium intestinis praebens. Rem ita se habere, apud omnes, ni fallor, constat, idcirco quia, fluxu bilis, irritatione (sicuti in infantibus saepiùs accidit,) causisve aliis impedito, et color proprius et vires irritantes faecibus desunt, colorem albido-flavum formamque scybalorum induunt. Experimentis praeterea Berzelii nuperrimè institutis constat, faecum exsiccatarum partem tertiâ haud minorem ex resinâ bilis conflari.

His igitur propositis, me judice sequitur succum pancreatico-hepaticum in massam chymi infusum, eam et penetrare et liquefacere, et etiam in naturam animalem mutare. Quin etiam, idem succus partem ingestorum nutrientem à partibus ad alvi purgationes pertinentibus ritè separat, stimuloque debito excrementis impertito ea anum versus propellit; forsanque ut Fourcroy chemiae animalis peritissimo videtur, hydrocarbonatis nimiae exitum è corpore premit.

DE CALCULIS BILIARIIS.

Concretionibus in vesicâ felleâ plerùmque sitis, ortumque à mutatione quam bilis in hoc

sacculo subit ducentibus, calculi biliarii nomen inditum est. Species calculorum quatuor diversas descriptas habemus. Substantiam quandam singularem, à Pouletier de la Salle primo patefactam, Fourcroy periculis chemicis subjecit; principiaque ferè eadem ac spermaticeti adipocerae videlicet, huic substantiae inesse compertum habuit. Quin et, materiam eandem pro unâ parte rerum è quibus calculi biliarii humani omnes componuntur inveniri, chemicus idem solertissimus nos ritè certiores facit.

In his concretionibus materia adipocerosa cum substantiis aliis gradu majore minoreve semper quidem commiscetur; nucleum veruntamen earum semper constituit. Hinc ratio patet quare ab adipocerâ dotes minimè abhorrent, illi videlicet sicuti haec et liquescunt et flammam concipiunt. Quin etiam et haec et illi in menstruis iisdem solvuntur. Calculusque primae speciei, ex eâdem substantiâ ferè compositus, laminas fulgentes crystallizatas, striasve ad tactum et molles et unctuosas, fractus ostendit. Color plerùmque albus, interdum verò flavus subviridisve, bilisque spissata ei nucleus est.

Gren teste, calculus biliarius aquâ levior est videlicet 0,803, igne admoto caloreque ad gradum ducentesimum secundum aucto liquescit, speciem olei prae se fert, ceramque olet; calore autem diminuto, formam crystallizatum induit. Igne verò subitò admoto, vapores fumique densi emittuntur.

Calculus biliarius hicce in aquâ vix ac ne vix quidem dissolvitur; pars autem concretionis in alcohole coctae undevigesima Fourcroy teste solutionem reverâ subit. Oleum terebinthinae, aether calidus, et alkali purum has concretiones facilè solvunt solutionemque saponi haud dissimilem alkali praebet. Quin et, acidum nitricum calculos biliarios solvit; aquâ veruntamen solutioni additâ, materia biliosa parùm mutata fundum petit.

2. Quod ad speciem concretionum biliariarum secundam quidem pertinet, formâ vel rotundâ vel angulosâ gaudet. Laminae bilis spissatae idemque nucleus albus calculis hujus speciei insunt. Hae concretiones leves, friabiles, coloremque fuscae interdum evadunt. Hujusce speciei calculi complures eodem tempore in ve-

sicâ inveniuntur. Gulielmus Saunders, M. D. calculum qui ad hanc speciem, experimentis ejus extat testibus chemicis tentavit, analysi summâ cum curâ factâ, materia resinosa, pauxillum terrae, manifestè calcariae, plus minusve sodae, ammoniaeque in apertum prodierunt.

3. Species calculorum biliariorum tertia, prae aliis longè frequentiùs nobis ante oculos versatur. Calculi speciei hujusce secti, è crystallis substantiae adipo-cerosae bile spissatâ commistis, colore vel ferè, vel semper admodum fusco viridique gaudentibus componi videntur. Species calculorum tres, de quibus locuti sumus, in alcohole, oleis, et menstruis aliis suprà dictis solvuntur.

4. Quod ad speciem calculorum quartam quidem pertinet, vel minimùm vel nihil certè habemus, quod in aperto ponere possumus. Nec in aethere, alcohole, oleove terebinthinae solvuntur. Flammam, Doctore Saunders teste, vix ac ne vix quidem concipiunt; at potiùs incandescunt, modoque carbonis in cineres rediguntur.

PARS ALTERA.

Nexum inter hepar partesque corporis alias, quoad res tùm ad secretionem tùm etiam ad nutritionem praebendas necessarias, arctissimum in medio suprà posuimus, partiumque aliarum perturbationes, effectus vel chemicos vel physiologicos in hoc viscus saepissimè praestare, etiam ostendimus. Ratione ad leges oeconomiae jecinoris hasce, ritè habitâ, morbos visceris hujusce gentibus universis ingruere, formasque diversas induere, mirum nobis videri non debet. Si animum ad affectiones organi secernentis diversissimas, et ad signa has affectiones singulas distinguentia effectusque quos edunt, ritè advertamus;

quantum affectionum harum uniuscujusque investigatio medico sive theoriae verae, sive praxi dedito profutura sit, me judice, in aprico est.

Secretio hepatis quoad humoris quantitatem, semper multùm variat; varietasque haecce corporis functionibus saepè minimè obest. Verum enimvero quandoque secretio multùm aucta vel imminuta trans limites solitos gressa fuerit, summam attentionem postulari videtur; propterea quod vel plus vel parciùs justo suppeditata, perturbationes insignes, generalesque in corpore excitat, haeque diutiùs perstantes morbis atrocissimis viam facilè sternunt.

MORBI A SECRETIONE BILIS AUCTA PENDENTES.

Affectiones hepatis morbosae, originem à secretione bilis auctâ ducentes, in regionibus calidioribus frequentissimè grassantur, eâque de causâ vires proprias in corpore ad hos morbos proclivi reddendo, calori inesse haud pauci sibi persuasum habuere. Opinio quidem haec verisimilior videbatur, propterea quod cum è regionibus frigidioribus in calidiores migrassent, etiam-

si morbis omnibus aliis prorsùs immunes, secretione bilis auctâ affectionibus hepatis illicò tentabantur. Calorem, circuitum sanguinis augendo, secretiones omnes insigniter afficere, satìs superque constat. Quoniam autem idem morbi typus medicinam in hâc regione facientibus ante oculos haud raró versatur; quoniam etiam homines complures vitam in regionibus calidis degentes, morbis de quibus agitur nunquam laboravere, semina eorum è causis aliis, me judice, deducenda sunt.

Incolae insularum Britanniarum temperamento sanguineo, fibrâque tensâ praediti, bilis secretioni auctae prae aliis quibus constitutio corporis diversa inest obnoxiores vivunt, secretioque bilis et his et illis, ratione verò inaequali, augetur, si carne cibove alio stimulante aluntur; si autem temperamento sanguineo praediti, in usu cibi stimulantis nutrientisque sibi moderentur, si etiam corporis habitum laxi, diaetâ lautiore sibi indulgeant, illis secretio pro ratâ parte diminueretur, his vero augeretur.

Europaeo in Indiam pervenienti constitutio corporis robusta plerùmque inest, ideoque, vires

stimulorum, promptiùs ac indigena habitu corporis prorsus diverso, plerùmque praeditus sentit, rationi victûs solitae insuper indulget. In hoc statu rerum, quantitate bilis nimiâ cui stimulus caloris insolitus, corporisque biliosa constitutio in causâ sunt, prorsùs opprimitur; eoque magìs quod exercitationi solitae, quae in regionibus frigidioribus ad hoc vitium tollendum satìs valuit, parùm idoneus evadit.

Indigenae verò, etiamsi minus obnoxii, sese cibo nutritum stimulumque validiorem praebente abstinere necesse habent, pariterque ac pistores in hâc regione, qui tametsi calori insigni saepiùs objecti, morbis secretionis diminutae potius quàm auctae obnoxii vivunt, propterea quod frugibus vel omninò vel propemodum vescuntur.

In Indiâ, feminae vitam parciùs agentes, affectioni huicce minùs proclives sunt. Quod ad nostrates quidem attinet, si quandò morbo hocce tententur, irritationem faecibus in intestinis ob vitam sedentariam pelvimque earum capaciorem cumulatis ortam, in crimine ponere jure liceat.

Diaetam lautiorem huic morbo ansas promptissimè praebere, historia Europaeorum bello *Hy-*

der Ali captorum luculenter probatum est. Ex his haud paucos morbo hepatico implicitos, diaeta parcissima, ex aquâ videlicet oryzâque, priùs in libertatem quàm vindicati sunt, sanos fecit. Hi autem cum vinculis solutis, domum rediissent, et cum amicis opiparè epulati fuissent, affectionibus biliosis correpti, morti occubuerunt.

Hisce propositis, sequitur, ut pro viribus alimentorum stimulantibus secretio bilis augeatur; ejusdemque fluidi quantitas major ad effectum eundem in regionibus frigidioribus temperamentoque phlegmatico gignendum, penitùs necessaria sit.

Secretionem bilis usu spiritûs stillatitii nimio, primò multùm augeri, sive spiritus cursum sibi per venas intestinorum venamque portae legens, hepar illicò petit, sive à vasis lymphaticis absorptus, in massam sanguinis transit; sive denique partem ductûs communem choledochi in duodenum desinentem, in motum abnormem ciet, hocque modo, vasa secernentia ob consensum eorum cum ductibus suis excretoriis ad bilem copiosiùs secernendam excitat, insuper observandum est. Cibus pinguis, oleosusque homines secre-

tioni bilis praeter modum auctae obnoxios reddit. Phaenomenon hocce ad sententiam Fourcroy de usibus bilis stabiliendam valet, idcircò quia hydrogenium carboque, elementa et pinguedinis et olei praecipua constituunt.

Quin secretio bilis praeter modum aucta corporis functiones ob naturam hujus fluidi admodum stimulantem, multùm impediat, nemo sanè est, qui dubitat. Quandocunque in stomachum refluit, hoc organum se malè habet; nausea, lingua sordibus obducta, anorexia, dyspepsia, debilitasque generalis superveniunt.

Sin autem iter in intestina persecuta esset, sitis ingens; pulsus frequens, signa pyrexiae solita; at potissimùm diarrhoea torminibus stipata, debilitatemque summam afferens; forsanque vultus jamjam macie extenuatus, nunc autem ob bilem absorptam subflavus, causam et fontem malorum clarè ostendunt.

Si quando signis hisce aeger in plagis calidioribus prematur, visceraque illaesa evadunt, coelum illicò mutandum est, propterea quod stimulo caloris in regione frigidiore remoto, secretio bilis plerùmque ritè diminuitur. Sin autem aliquis

affectione de quâ agitur, in plagâ frigidiore laboret; cibo ad secretionem fellis promovendam idoneo sese abstineat, temperantia in victu ejusmodi morbum saepiùs haud parùm coercebit.

Causae quae stomachum solum afficiunt, emetica, videlicet, nauseaque marina, bilis secretionem haud raró praeter modum augent: ideoque fel aut in ventriculo aut in intestinis, ante vomitionem morbosè accumulatum fuisse; ansasve nauseae dyspepsiaeque dedisse à rejectione hujus fluidi cogere minimè velim. Emetica igitur in hoc morbo prorsùs contra-indicata sunt, idcirco quia, ad irritationem secretionemque augendas valent, bilemque per intestina aliter ritè evacuandam in ventriculum malè repellunt.

Bili vires insigniter stimulantes insunt, ideoque usu diluentium saepiùs ritè ejicitur; aqua tepida ante jentaculum liberiùs hausta votis aegri saepiùs respondebit. Doctore Saunders judice, aegrotus voti compos certiùs fiet, si aquae temperatura usque ad vertiginem inducendam augeatur.

Aquae Angliae minerales (praeter Cheltenhamenses) omnes haud multùm salibus imbutae sunt, animusque fert famam earum, sive in mor-

bis sublevandis sive tollendis, causis à virtutibus medicatis in iis insitis, prorsùs diversis tribuere. Illi scilicet qui salubritate aquarum freti, Bathoniam, Bucostenum urbesque in Angliâ alias petunt; à lecto manè surgunt, mutatione aëris fruuntur, exercitatione utuntur, et in res novas animos incumbunt. Hoc modo illis quibus ob intemperantiam, studia intensa, vitamque sedentariam valetudo adversa est, saepiùs inter has aquas hauriendas succurritur.

Verum enimvero, quandocunque irritationi graviori à bile pendenti, usu catharticorum obviam eundum est, submuriatem hydrargyri purgantibus aliis omnibus tùm ob vires in hepar proprias, tùm ob virtutes evacuantes anteponere lubet. Irritationis etenim quâ aeger opprimitur causa aut à fluidis in parte venae portae hepatisve quâdam collectis, saepiùs verò à bile citiùs justo secretâ ideoque imperfectâ, petenda est. Submurias igitur cum pulvere radicis convolvuli jalapae catharticove alio conjunctus, adhibeatur; intermissaque per dies aliquot medicina repetatur.

Ad aquas Cheltenhamenses summo cum commodo postea confugiendum est, aegerve aquas

easdem arte factas bibat. Ferri praeparata, acidumque carbonicum has ineuntia ad vires stomachi restituendas optimè valebunt. Cibo concoctu facili utendum est, aegerque caveat ne ventriculum malè oneret.

Et à cibo pingui omnigeno et ab alimentis, quae ad fermentationem acidam subeundam procliviora sunt, sese aegrotus ritè abstineat. A liquoribus sive stillatitiis sive fermentatis omnibus prorsùs abhorreat, et aquâ pro potu utatur. Corpus totum extremitates inferiores potissimùm ritè amiciantur, propterea quod partibus hisce benè velatis, stomacho se malè habenti meliùs succurramus.

CHOLERA MORBUS

In regionibus calidioribus omni tempore grassatur. In Angliâ autem aestate adultâ, mensibus Augusto Septembreque potissimùm, quum, scilicet systema hepaticum promptiùs ac in reliquo anni tempore stimulis paret. Quicquid aut corpus stimulat, aut systena venae portarum in motum abnormem ciet; usus videlicet cibi concoctu difficilis, fructûs vel acidi vel immaturi: quic-

quid etiam bilis secretionem praeter modum auget, dotesve acres ei impertit: liquores frigidi corpore exercitatione calefacto hausti, quicquid denique corpus subitò refrigerat inter causas cholerae morbi excitantes jure enumeranda sunt.

Morbo invadente, ventriculus, intestinaque plerùmque et dolent et intumescunt; vomitio violenta et frequens bilisque morbidissimae dejectiones, sanguine commisto, tormina sensusque ponderis in stomacho, calor, sitis, pulsus arteriarum et frequens et debilis, respiratio plus justo accelerata, subitò superveniunt. Musculi diversi gastrocnemii potissimùm spasmo convelluntur suraeque coxam versus retrahuntur. Morbo mitius urgente, symptomata post unum alterumve diem gradatim cessant, aegrumque vires corporis admodum fractum relinquunt.

Verum enim vero, malo ingravescente, prostratio virium summa, sudores glutinosi gelidique; respiratio et accelerata et curta, pulsus abnormis tremulusque, mortem citam denunciant, exitiumque aegro intra viginti et quatuor horas haud rarò afferunt.

Quod ad signa quae, cadaveribus cholerâ morbo mortuorum sectis, sese ostendunt, quidem attinet, fel, et in ventriculo, et in intestinis morbosè collectum; ductus biliarii tùm distenti, tùm laxati; visceraque diversa è suis locis ob nisum violentum remota, nobis ante oculos versantur.

Quod ad indicationes curativas reverâ pertinet, materia in ventriculo contenta, aquâ hordeaceâ, jusculo pullino, aquâve purâ liberrimè haustis, in limine diluenda est. Liquida veruntamen mucilaginosa omnibus aliis anteponenda esse censeo, propterea quod superficiem intestinorum internam illinentes, bilis acrimoniam obtundunt. Fotus tepidi abdomini, opiumque dosibus debitis adhibitum, proque re natâ repetantur oportet. Si medicamentum hocce formâ solidâ devoratum ventriculus rejiciat, tincturam cum misturâ salinâ conjunctam inter effervescendum sumendam, vel formâ enematis injiciendam, medicus praescribat. Vesicatoriis abdomini impositis vomitui saepiùs succurritur.

Aegro in stadio morbi provectiore vires multùm fracto, aromatica cum opio conjungere li-

ceat. Submuriatem hydrargyri, sunt qui in hoc morbo commendant. Quoniam veruntamen malo cursum suum plerùmque celerrimè confecturo, medicus advenienti occurrat, oportet: quoniam etiàm usu calomelanos nisi remediis cum aliis conjuncti, voti rariùs compotes sumus; quoniam denique medicamenta ejusmodi aegriùs fert ventriculus, haud me poenitet eorum sententiae esse, qui diluentia cum opio causâ irritationem compescendi, submuriati semper anteferunt.

Morbo ritè domito et subacto, ad tonica causâ vires reficiendi medicus confugiat oportet. Quin et, opium per aliquod tempus ne omittendum quidem est, idcirco quia debilitas à morbo orta, ad spasmos renovandos facilè valet. Alvus verò semper leniter subducenda est. Post sanitatem restitutam, aeger curam summam diaetae adhibeat, cibo nutrienti concoctu facili viribusque acidis prorsùs immuni utatur; caveatque ne ex frigore malè afficiatur.

DE HEPATE MORBOSO, FEBRIBUS COMITANTIBUS.

Causam febris regionibus in tropicis grassantis, ab effluviis aquarum stagnantium, substantiarumque aliarum putridarum petendam esse, diversitatemque typi à constitutione corporis aegri diversâ pendere, inter plerosque hisce in regionibus medicinam facientes, convenit. Peregrini etenim qui è coelo frigidiore migraverunt febri continuae procliviores evadunt: indigenae autem febri remittenti magìs obnoxii vivunt. Causa veruntamen mali quo organa sive fel secernentia, sive ferentia laborant, nos latet, nec me judice, physiologorum aliquis hanc rem attentione, quam meruit, scrutatus est.

Britanni quum primùm in regiones calidas accesserint, temperamentis eorum sanguineis stimulo caloris adhuc insuetis, ad typhum icteroidem admodùm proclives evadunt. Organa biliosa tunc temporis plerùmque laborare, debilitatemque actione eorum morbosè auctâ ortam, tùm maximâ tùm etiam insolitâ, introïtum contagii in corpus faciliorem reddituram esse suprà ostendi-

mus; at bilis redundantiam causas morbi alias praedisponentes, haud minùs noxias, pathemata videlicet animum deprimentia, fidemque in aegris firmam, se morbis exitium Europaeis vel ferè vel semper afferentibus, prae aliis obnoxios esse, gignere insuper observandum est.

Ex his, ni fallor, conficitur, perturbationes hepatis insolitas, corpus viribus contagii obnoxium semper reddere, contagiumque simul atque in systema receptum fuerit, suis viribus et ad secretionem bilis augendum, et ad fluidum acrius reddendum valere. Quin et, actionem hancce hepatis morbosam, contagio excitatam, si diù perstiterit, morbos in eodem viscere * diversos, fluidorum scilicet congestum, fabricaeque organi mollitiem et alios necessariò gignere †, mihi manifestum videtur.

DE MORBIS QUI ORTUM A SECRETIONE BILIS DIMINUTA TRAHUNT.

Morbi secretionis diminutae ab actione vel hepatis ipsius, vel partium sanguinem bilem prae-

* Poisonier Maladies des Gen de Mer.
† H. Chisholm, Malignant Fever.

biturum ad hoc viscus deferentium imperfectâ, vel à fabricâ vitiosâ quibuscunque causis natâ originem ducere facilè possunt. Ventriculus alimentorum quae ad vitam sustentandam necessaria sunt receptaculum, munere gravissimo, ope succi gastrici potissimùm perfungitur. Natura diversissima alimentorum in quae ventriculus sanus vires intendit; et mutationes quibus illae substantiae multiformes spontè obnoxiae sunt cohibendo: et omnia ad chylum formandum idonea, in nutrimentum bonum convertendo, vires, quae in hoc organo insunt maximas clarè ostendit. Distentio ventriculi à cibo modicè sumpto, stimulum ei impertit, ideoque succi gastrici secretionem auget. Est veruntamen modus in rebus, sunt certi denique ventriculo fines, organumque hocce vel ob ciborum multitudinem, vel ob naturam eorum plus justo irritantem, praeter modum distentum sanè opprimitur, nisusque ad se exonerandum violentus, debilitatem aequè insignem inducit. Ad mutationes quibus cibi obnoxii sunt coercendas, nunc parùm valet, ideoque aeger cruditate, flatu, dyspepsiâque laborat.

" The sympathy (ut ait Dr Saunders 217)
" between the stomach and other important or-
" gans is well known, and I have observed this
" in a very evident way between the stomach and
" liver, when, either from an irregular distribu-
" tion of nervous energy, to which certain con-
" stitutions are particularly liable, or from the
" operation of indigestible or acescent food, the
" tone of the stomach falls below the degree ne-
" cessary to the chylopoietic process, the liver
" immediately sympathizes with it, and the bile
" is no longer emulged into the duodenum. The
" consequence of this is, that the general feel of
" languor and uneasiness which takes place from
" the want of action in the stomach, is farther
" aggravated by the acid state of its contents,
" and most severe and depressing headach su-
" pervenes; in this way, then, from the consent
" between the stomach and liver, the atonic state
" which began in the former, is reflected back
" upon it again with additional force, and indis-
" position, which would otherwise have been in-
" considerable and of short duration, is increased
" to a degree of agony which suspends all exer-

" tion both of body and mind, and often conti-
" nues for two or three days."

Verum enimvero praeter consensum inter ventriculum et hepar, ab hoc auctore optimè descriptum, causae aliae diversae horum viscerum functiones malè afficiunt. Cibus etenim parùm concoctus in duodenum transit, ibique vires stimulantes bili impertit. Quantitas autem cibi in stomacho contenti, ad actionem hujus organi imperfectam opitulandam minimè ritè valet, ibique diutiùs morata organum irritat; secretioneque succi gastrici auctâ, causâ mutationes necessarias subeundi eget. Quoniam verò partes omnes corporis stimulis validioribus diutiùs adhibitis, actioni eorum tandem molestiùs parent, sequitur ut organa secernentia actioni abnormi longiùs sustentata, postea haud aequè ac in sanitate polleant, ideoque secretiones pro ratâ parte deficiunt, hocque modo sanguis, qui in corporis constitutione saniore, succos gastricum et intestinalem praebuisset, molem auctus, qualitatesque depravatus, hepar petit.

Causa igitur quare mala hepatis, affectionibus stomachi morbosis superveniunt in aprico est,

et quomodo, intemperantia in usu vel cibi vel potûs; affectiones animi quaedam; vita sedentaria ventriculum primò atoniâ afficiendo, secretionem bilis denique diminuissent.

Chymus felle, ope cujus in partes diversas converti debet orbatus; chylum imperfectum praebebit. In hoc statu rerum corpus marcet, lassitudo, prostratioque virium superveniunt, et viam longae morborum cohorti neurosium vulgò dictorum, Chlorosi potissimùm, Jacobo Hamilton, M. D. in libello ejus eximio de usu purgantium, fide dignissimo teste, sternunt. Pars alimentorum foeculenta stimulo hocce ad motum peristalticum promovendum tam necessariò destituta, in partibus canalis intestinalis diversis coacervatur.

Rebus ita sese habentibus alvus, multùm astringitur, bilisque postea secreta cursu ejus impedito, aut in putredinem ruens (fluidum etenim hocce calore ad gradum certum aucto, ad putredinem subeundam admodum proclive esse, suprà ostendimus), ansas morbis atrocissimis dabit: aut in ventriculum retrogressa, organum hocce corrumpet: aut denique, (quod interdum accidit), cursum deorsùm inter foeces induratas quas solvere

nequit, lateraque intestinorum sibi legens, canalis hujus inflammationem excitat, symptomataque dysenteriae omnia gignit.

Vomitus dejectionesque biliosae, quae aegros quosdam per aliquot hebdomadas interdum implicitos tenent, pro signis hujus morbi, in quodam stadio ejus pathognomonicis habeantur jure oportet: Ductus etenim biliarii stimulo diutiùs sustentato, nunc vires perdunt, ideoque bilis et in vesicâ felleâ et in ductibus hepaticis morbosè accumulatur, usque dum ob molem et acrimoniam vel spissitatem irritationem majorem peperit, hocque modo subitò ejicitur.

Homine olim familiarissimè usus fui, qui tumore ante marginem sterni sinistrum prominente diutùs laborarat, hic interdum evidens aegro anxietati dolorique fuit, interdum autem minus prominens dolorisque expers evasit. Parti laboranti et vesicatoria et etiam ferrum incandescens incassùm adhibita fuere; catharticis verò salinis calomelaneque dosibus debitis in auxilium subinde vocatis, dejectiones biliosae aegritudinis levationem attulerunt; bile veruntamen

accumulatâ, morbus invaluit: felle autem ritè ejecto, morbus iterum se remisit.

Torpor quo ductus laborat, paralysi torporeve vasorum secernentium interdum stipatur; paralysisque haecce intemperantiam in usu spirituûm stillatitiorum inveteratam plumbumve in corporis sumptum pro causis excitantibus agnoscit; anorexia, macies, prostratio virium, faeces bile orbae, durae, formámque scybalorum induentes; vultusque lividus, subflavus, lutulentus, et nonnunquam membrorum quorundam paralysis, inter signa hujus affectionis pathognomonica enumeranda sunt.

Paralysi verò partiali solummodò urgente; ut scirrhum partis cujusdam hepatis causis aliis tribuam adducor. Vasa videlicet secernentia quae ad fluidum è massâ circulante sumendum satìs valent; vires autem, quae iis insunt, ad fluidum secretum ductibus excretoriis tradendum, haud ritè pollent. Hinc glandulae utriusque corpus distentionem subit, usque dum vel ob stimulum nimium inflammatio gignitur, vel hae partes visceris paralysi corripiuntur.

Re ita se habente plus minusve bilis secernitur, propterea quod glandulae hepatis omnes quidem non laborant. Quantitas veruntamen secreta ad signa suprà descripta praevenienda parùm valet. Hepatitidis chronicae symptomata deinceps aegrum adoriuntur, ideoque de hoc statu rerum loco proprio postea fusiùs disseremus.

Si quando affectiones ventriculi morbosae, secretionem bilis diminutam praegrediuntur, causae malorum organi hujusce omnes, intemperantia scilicet, vel cibum vel potum, immoderatiove omnigena sedulò evitandae veniunt; primasque vias medicus ritè purget oportet, idcirco quia, perturbatio morbosa quam canalis intestinalis omnis antea tulerat, ad irritationem sustentandam ideoque ad actionem viscerum omnium consentaneam promovendam valere facilè posset.

Diaeta aegri attentionem medici summam sibi vindicat. Cibos concoctu difficiles, proclivesque ad fermentationem acidam subeundam, olera, videlicit, carnem frixam, operaque pistoria omnia, aeger evitet. Alimenta sextâ quâque horâ sumat, propterea quod si à cibo potuque diutiùs abstinuisset haud raró anxietate, do-

lore insigni, debilitateque corriperetur. Aeger necnon caveat ne ventriculum malè infarciat, neve organum hocce distentionem nimiam ob cibi quantitatem subeat. Caro assa elixae anteferenda est, idcirco quia et concoctu facilior, et caeteris paribus corpus melius nutrit. Carnes autem elixae aequè ac juscula, ad fermentationem acidam subeundam, stomacho atoniâ laborante, pronae evadunt. Aeger prandiens aquam vel puram, vel Seltzereanam, aut cum duplice nimirum sodâ imbutam pro potu sumat. Potu, veruntamen intra modum utatur, propterea quod succo gastrico nimis diluto, ideoque plus justo debile reddito, alimenta saepiùs haud ritè concoquuntur.

Perturbationes animi secretiones omnes haud parùm afficiunt. Hinc ratio patet quare, animus agitationibus liber, succi gastrici secretioni, ideoque cibi concoctioni, potissimùm favet. Quin et, è re aegri foret, si cibo sumpto quietem duos tresve horas agat, somnus post prandium parùm pro aegro, facit, nisi, si, vel corpus defatigatione ei gravescat, vel aegrotus aetate provectior sit, vel denique in regionibus calidioribus, vires ob

solis ardorem deficiant. Rebus aliter stantibus, somnolentia post prandium, cruditatem, à cibi quantitate naturâve, pendere palam facit*.

Aquam mineralem quandam aegrotus manè hauriat, et corpus et mens intra modum necnon exerceantur. Aeger caveat, ne alvus nimis supprimatur; et post remedia suprà dicta adstrictae, exinanitionibus horâ certâ ritè factis, optimè occurritur. Viribus et ventriculo et duodeno hoc modo impertitis, hepar ad functionem ejus propriam praestandam iterum satìs valebit.

Amara diversa cum rheo, alöe et medicamentis ejusmodi aliis conjuncta, vices bilis justo parciùs secretae, pro tempore supplebunt. Acido nimio, usu remediorum alkalescentium medetur. Joannes Abernethy, Chirurgus Londinensis, in libello ejus de morbis organorum concoctui ciborum inservientium, pilulam hydrargyri unam, et ad vires hepatis secernentes restituendas, et ad colorem flavum sedibus luteis impertiendum, satìs valuisse, nos certiores facit.

* Cullen, Mat. Med. Vol. I.

Secretionem bilis, navigatione, nauseâque marinâ plurimùm affici, insuper observandum est. Liquor spissus ductuûm ostia obstruens, secretioni haud raro multùm obstat. In hâc inclinatione rerum, aegro ope submuriatis hydrargyri, cum catharticis acrioribus quibusdam conjuncti certissimè succurritur. Quin et, si quidem, felle justo parciùs secreto, congestum ejusmodi semper in crimine ponere liceat; causis suprà allatis ritè perpensis, ut submuriatem remediis aliis omnibus anteferam adducor.

DE ICTERO.

Icterus à Doctore Cullen, verbis sequentibus definitur.

"Flavedo cutis et oculorum; faeces albidae; urina obscurè rubra; immissa colore luteo tingens."

Morbus hicce à causis omnibus, quae ad cursum bilis in duodenum impediendum valent, ortum ducere facilè potest. Exitu etenim liquori hoc modo denegato, vel lymphaticis absorbetur, vel in ductus repulsus massam sanguinis per venas petit. Lassitudo, anxietas, cibi

fastidium, sensus ponderis molestiaeque circa praecordia; flatus, acor in ventriculo; dyspnoeaque levis, impetum morbi plerùmque praegrediuntur. Morbo verò procedente, cutis, tunicae oculorum adnatae, radices etiam unguium colorem flavum induunt; saliva amarè sapit; nausea vomitusque superveniunt; alvus constringitur; faeces colore luteo-albido gaudentes, odorisque expertes dejiciuntur; dolor in latere dextro dorsum versus jaculatur, pulsus arteriarum inaequales evadunt; urina plerùmque subrubra, saepiùs verò pellucida, immersa colore luteo tingit. Signa hæc cum paulisper perstiterint, haud rarò sensim evanescunt; symptomata scilicet gradatim mitigantur; faecesque bile tinguntur.

Verum enimvero, si morbus aegrotum perpetuò urgeat, si singultus, rigoresque frequentes sese comites ei praebeant; si signa pyrexiae plus plusque ingravescant; si pervigilia, melancholia, prostratio virium, sudores profusi haemorrhagiaeque sese ostendant, de eventu sanè ambigitur.

Morbus plerùmque in homines sedentarios, animosque in studia incumbentes; homines etiam

intemperantiae vel potûs vel cibi deditos; artificesque situ corporis procurvo utentes, impetum promptiùs facit. Quin et foeminas gravidas saepiùs adoritur.

Stricturam impedimentumque ductuûm, sive è calculis, spasmo, cavi abolitione, pressioneve externâ, origines duxerint, inter causas hujus morbi excitantes enumerare vellem. Calculi* crimen frequentissimè jure sustinent: Cadavere morbo regio mortui secto, in vesicâ et in ductu cystico saepè inveniuntur, sed ex his haud multum mali oritur; ut verò in ductu hepatico (quod raró evenit,) aut in communi choledocho situm habent, huic malo plerùmque sunt causae. Et molem et numerum multùm variant. Interdum cadavere aperto, vesica calculis maximis vel ferè vel prorsùs repleta, nobis ante oculos versatur; hi verò calculi molestiam haud insignem, aegro superstite attulere; calculi minores causam morbo saepiùs dant, propterea quod in initium ductûs facilè ingressi, bili transitum omninò denegant.

* De analysi calculorum chemicâ supra disserimus.

Calculos biliarios molem praegrandes, cursum sibi in duodenum per aperturam insolitam legisse, aegrumque tamen convaluisse, artis periti nos certiores faciunt*. Calculis majoribus potissimùm per ductum transeuntibus, aeger diris tormentis apud scrobiculum cordis cruciatur. Regio epigastrica tota vehementissimè dolet; interdum verò et dorsum et latus dextrum laborat. Pulsus arteriarum rariùs frequentes, aliquandò etiam tardiores ac in statu corporis sano evadunt; languore, nauseâ, vomitu, stricturâque in partibus corporis diversis spasmodicâ aeger tentatur. Paroxysmi plerùmque subitò superveniunt, intraque horam saepiùs recurrunt; symptomataque omnia, post calculum egressum aegro vires corporis multùm fracto cessant. Quin et, calculus biliarius ipse cum faecibus per anum dejicitur. Calculi inter transeundum haemorrhagiam aliquandò inducunt. Hujus phaenomeni exemplum, medicus quidam in rerum medicarum commentario *Paris. Med. Jour.* † dicto, in medio

* Cheston et Cline.

† In Mens. Aug. 1782.

ponit; hâc in historiâ, venae portarum ramus disruptus fuit.

Ductus stricturâ spasmodicâ minimè laborare, sunt qui contendunt, propterea quod et irritabilitate, et viribus musculosis manifestè deficiunt*; irritabilitatem veruntamen in ductibus inesse, etiamsi stimulis externis ne promptiùs quidem parent, animus mihi neutiquam pendet. Alimenta in duodenum transeuntia, fluxum bilis promovere, vel pauci vel nulli dubitant. Hujusce phaenomeni causa, si mens me rectè monet, parùm in aperto est, nisi si alimenta in transitu, ductûs extremitatem afficere, eoque modo canalem totum in actionem ciere agnoscas.

Quin et, quamobrem ductus causâ egressum calculo praebendi praeter modum laxatus, aegrum cruciatu summo afficeret, si irritabilitatis prorsùs expers evadit. Rem autem aliter se habere, ebrietati dediti clarè ostendunt. His etenim ductus vel ob tunicarum ejus densitatem, bili transitum omninò denegat, vel ob stimulum

* Saunders, page 26.

antecedentem magnum extremitati ejus adhibitum, paralysi penitus corripitur.

Quin etiam, ductuûm post calculum egressum amplitudo insignis vim eorum musculosam minimè redarguit, idcirco quia, et his ductibus et partibus aliis diversis modus certique fines sunt, ultra quos prodire nequeunt; machinae scilicet motum cientis instar, quae tensa praeter modum reddita, ad vires recuperandas parùm valet.

Verum enimvero etiam si scrupulus de structurâ ductuûm spasmodicâ quibusdam restare possit; de spasmo tunicarum duodeni, ductûsve ostei ansas ictero facilè praebente nulli dubium est.

Perturbationes animi et vehementes et subitò concitatae, ad hunc morbum inducendum admodum valent, morbumque ab affectionibus mentis his violentis originem ducens, exitum exitialem saepiùs habet *.

Hisce in casibus, effectus eosdem è bile nasci, ac è sanguine in syncope à pathematis mentis

* Morgagni de sed. et caus. morb. cap. xxxvii.

subitò excitatis pendente, verisimile videtur. Actio etenim spasmodica, quâ pars canalis intestinalis superior laborat, ductibus hepaticis impertitur; eâque de causâ, bilis in poros biliarios repellitur, hisce autem in poris, cum sanguine è ramulis venae portae eâdem vi spasmodicâ repulso commiscetur; nisuque duplice vasa capillaria amplificationem subeunt, fluidaque duo admiscentur.

Ob vires veruntamen ductuûm majores, bilis per venas hepaticas in circulationem necessariò defertur, cutemque colore flavo tingit. Quandò quidem contractio spasmodica pro tempore solummodò valet, sanguis deinceps secretionem praebiturus in vasa secernentia et justo celeriùs, et ob vasa capillaria amplificata, quantitate nimiâ transit. In hoc statu rerum, bilis et imperfecta evadit, et cum sanguine commista, colorem nigrum induit, cursumque sibi in stomachum legens, vomitu rejicitur.

Tumores hepatis partiumque vicinarum, inter causas morbi arquati indole pessimâ excitantes jure enumerandi sunt. Inflammationis antecedentis symptomata affectioque visceris strictu-

ram inducens hancce speciem morbi comitantur. Hydatides reprehensionem culpae interdum sustinere insuper observandum est.

Speciei hujusce morbi historiam in diariâ nosocomii Edinburgensis clinicâ (in anno 1807-8 Margaretta Hoy) relatam habemus. Hepar partem abdominis thoracisque majorem huic aegrae replevit. Cadavereque aegrotae morbo epidemico è medio sublatae, secto, cystae hydatidum magnae superficiei hepatis adhaerentes, inspicientibus ante oculos versatae sunt, aegraque nostra, sicuti exemplis in similibus haud raró accidit, dolore parùm affecta fuit.

Foeminae gravidae ictero saepiùs laborant; foetu veruntamen in lucem edito, morbus ritè discedit. Ductus biliarii sive ob tunicarum densitatem, (quod ebriosis accidit,) sive ob compressionem diuturnam saepissimè coalescunt. Ductibus hoc modo coalescentibus, morbus insanabilis semper evadit; signaque icteri confirmati dolor levis, gradum minimè varians, et corpus sensim marcens, pro symptomatis hujus morbi speciei pathognomonicis habeantur oportet.

Ductûs hepatici torpor (quo homines sedentarii saepiùs laborant,) fel ipsum plus justo spissum, icterum haud raró gignunt. Erasmus Darwin, M. D. de historiâ aegri quem icterus hebdomadas sex implicitum tenuerat, nos certiores facit, remediis omnibus aliis incassùm adhibitis, hic medicus ingeniosissimus, ictus fluidi electrici paucos per regionem hepatis transmitti jussit. His transmissis, bilis citiùs dicto faeces colore proprio infecit, aegerque ritè convaluit. Si experientiae hujus medici fides ritè habenda est, species icteri de quâ agitur, dolore, pyrexiâ, nauseâque vacat.

Ictero parùm inveterato concretionibus in ductibus biliariis impactis orto, plerùmque remediis propriis succurritur; sin autem causa è tumoribus morbisve viscerum contiguorum petenda sit, hydropi viam plerùmque sternit.

Cadavere ictero defuncti secto, partes corporis internae, ossa videlicet, cartilagines, et aliae flavedine tinctae, in conspectum veniunt. Hepar, vesica fellea, aliaque viscera, malè necnon se habent, obstructionibus nimiùm potissimùm laborant.

Quod ad rationem ictero medendi quidem pertinet, causas morbi excitantes in limine removeamus oportet. Morbo calculum in ductis impactum pro causâ agnoscente, dolore, pyrexiâque etiam multùm urgentibus, venam pertundere, sanguinemque pro aegri aetate viribusque detrahere medicus debet. Balneo tepido usque dum animo ferè linquitur, aeger utatur. Causâ et dolorem leniendi, et spasmum cohibendi, ad usum opii summo cum commodo postea confugiendum est. Praesidium ab emeticis medicum petere oportet, tartritisque antimonii dosibus nauseosis primò adhibitis; postea verò dosibus majoribus ad plenum vomitum excitandum, emeticis aliis omnibus jure anteponendus est, nisi vel pyrexiae vel inflammationis signa graviùs urgeant.

Sin autem aeger signis vel pyrexiae vel inflammationis laboret, ne vomitiones concitet, medicus ritè caveat. Opio, viribusque balnei tepidi relaxantibus spasmo certissimè obviam eundum est. Panni lanei calidi regioni ductuûm adhibeantur. Causâ alvum ducendi, cathartica drastiora in auxilium vocanda sunt; propterea quod

purgantia leniora ad intestina in motum cienda parùm valent.

Morbo è tumoribus partium vicinarum originem ducente, submurias hydrargyri dosibus parvis adhibitis plus minusve pro aegro faciet. Quin et, si vel torpor ductûs, vel bilis, in intestinis morbosè accumulata, justoque diutiùs retenta, morbo causam dant. Calomelas dosibus majoribus causâ alvum fusiùs subducendi adhibitus, aegro plurimùm proderit, idcirco quia, et congestum removebit, et ad munera bilis parciùs justo secretae praestanda (ut suprà ostendimus,) valebit; hocque modo intestinorum torpori à bilis defectu pendenti succursum est.

Fluidum electricum in usum adhibere liceat. Accumulationi bilis morbosae equitatione optimè occurritur. Aquae minerales ad vires systematis reficiendas multùm valebunt.

DE HEPATITIDE ACUTA.

Et hepar, et corpora glandulosa omnia alia, ad species inflammationis duas, inflammationem nimirum chronicam acutamque proclivia sunt. Quin et, inflammatio hepatis acuta in regionibus

calidioribus potissimùm grassatur, eosque temperamento sanguineo praeditos saepiùs adoritur, inflammatio verò chronica in melancholicos impetum plerùmque facit.

Cullen hepatitidem acutam verbis sequentibus definitam habet.

"Pyrexia; hypochondrii dextri tensio et dolor saepè pungens, pleuritici instar, saepiùs obtusus; dolor ad claviculum et summum humeri dextri; decubitus in sinistrum latus difficilis; dyspnoea; tussis sicca; vomitus; singultus."

Inflammationis viscerum aliorum instar, plus minusve subitò invadit, interdum dolor circa praecordia; anxietas, pyrexiaque, symptomatibus morbi pathognomonicis, aliquandiù antecedunt; interdum verò dolor hepatis ab initio urget; utrâque veruntamen parte rigores impetum morbi comitantur. Dolore in hypochondrio dextro aeger plerùmque laborat; dolor verò hicce jaculans sensu distensionis in parte affectâ aliquando stipatur. Quibusdam in exemplis perpetuus et acutus; in aliis verò et profundus et obtusus evadit. Dolor in regione hepatis, minimè semper fixus haeret, versus etenim partes alias varias tendit,

ibique vehementiùs ac in jecore ipso urget. Lateri hepatis convexo laborante, dolor visceris pressu auctus, ad humerum dextrum, claviculum thoracemque extendit; brachium etiam dextrum ob consensum inter nervos harum partium nervosque phrenicos torpet; lobo verò sinistro correpto, dolor humerum sinistrum afficit, deorsùmque per latus jaculatur; septo transverso in mali partem veniente hepateve molem aucto, organum hocce premente dolor inter spiritum trahendum multùm augetur; singultus vehementissimus dolentissimusque urget; tussis interdum sicca, interdum verò humida supervenit. Aretaeove teste, aeger muco nullo excreato tussiendi desiderio afficitur *. Pulsus arteriarum et validi et pleni evadunt; aegrotusque in latus sinistrum decumbens, dolore potissimùm opprimitur.

Latere autem concavo inflammatione correpto, dolor obtusus profundèque situs, sensu ponderis stipatus, pressu attamen parùm auctus, ventriculum versus tendit. Quin et, stomachus ipse multùm laborat; nausea, vomitus, debilitas

* De morb. acut. caus. et signis ij. cap. vj.

summa, anxietasque morbis organi hujusce sese comites praebent; icterus necnon interdum supervenit. Bile etenim quantitate nimiâ plerùmque secretâ; strictura vel profusionis hujusce irritatione vel inflammatione orta, tunicas duodeni crassiores reddere, ideoque fluxum bilis impedire facilè potest; ictus arteriarum interdum parvi debilesque, interdum verò validi plerùmque autem duri evadunt. Urina aliquandò colore bilis inficitur, plerùmque attamen fit ruberrima. Fauces siccae evadunt. Lingua crustâ subflavâ obducitur; morboque autem ad finem vergente, crusta haecce colorem vel fuscum, vel nigrum induit; pervigilium perpetuum vires prosternit; aegerque mente interdum captus est; alvus aliquandò supprimitur; aliquandò etiam diarrhoea sedesque biliosae aegrotum vexant. Morbo affectus vel ob secretionem bilis profusam, vel ob partem coli hepati subjacentis inflammatione correptam, dysenteriâ necnon interdum laborat. In hoc statu rerum si morbo non cito succurratur, in praecipiti est aegrotus.

Hepatitis acuta inflammationum aliarum instar, in resolutionem desinere potest, crisemque

hance optandum sperare liceat, si aeger dyspnoeâ, tussi, singultu, vomitu, sensu ponderis in hypochondris dextris viriumve prostratione haud multùm laborat. Morbo resolutionem subituro, epistaxis, fluxusve haemorrhoidum, sudor qui, signis icteri praecedentibus, indusium colore flavo tingit, aegro die tertio quartove levamini sunt. Quin et, urina ruberrima diem ante quartam copiosiùs redditur; diarrhoea biliosa mucive pulmonum secretio aucta, inter symptomata resolutionem hepatitidis denotantia jure enumeranda sunt. Mucum verò hunce copiosissimè secretum, pulmones interdum prorsùs obruisse, ideoque aegrum suffocâsse insuper observandum est.

Verùm enimverò inflammationem ad pulmones serpentem, mucum purulentum facilè gignere posse, proclivitate ad resolutionem nullâ adstante, in animo probe tenendum est. Rem ita se habere, satis superque manifestum erit, si quando symptomata omnia alia vel perstent vel etiam ingravescant. Quinetiam, si morbus dies septem permanserit, symptomatibus intermissionem nullam subeuntibus, suppuratio visceris sanè timenda est. Morbum de quo agitur, organi

suppurationem signis febri hecticae stipatam frequentissimè gignere, abcessumque ritè formatum, viam sibi interdum in pulmones patefacere, hocque modo vel spiritum aegro intercludere, vel per tracheam, excreari medicis omnibus liquet; interdum verò vomica aut vesicae felleae aut duodeno colore adhaerente, pus per anum dejicitur.

Suppuratio hepatis mali ominis sanè est, mortemque aegro saepissimè denunciat; sive septo transverso eroso pus ad pulmones adeat, sive communicatione inter vomicam vesicamque fellis intestinave factâ, anum ritè petat. Materiam purulentam viam sibi in ductus biliarios hocque modo in intestina legere posse, Cullen reverâ credidit. Si in cavitatem abdominis pus effundatur, aegro exitium semper affert. Parte veruntamen hepatis suppuratâ musculis abdominalibus adhaerente, tumoreque hoc modo extrorsùm prominente, ab arte chirurgicâ, praesidium commodissimum petendum est.

Inflammatio hepatis acuta in schirrum visceris vel nunquam vel rarissimè desinet; rarissimè etiam gangraena organi hepatitidi supervenit, nisi si symptomata praeter modum ingraves-

cant; morbusque remediis debitis in usum incassùm adhibitis, in pejus celerrimè ruat. Verum enimvero si quando gangraena hepar infestet, signa inflammationis subitò cessant, sudores gelidi; pulsus arteriarum vacillantes; materiae albi coloris vomitus; sedes liquidae nigrae odoris pessimi, pro praecursoribus mortis jure habendae sese ostendunt.

Quin et, hepatitis acuta viam speciei morbi chronicæ facilè sternit. Malum etenim de quo agitur, etiamsi aegro manifestè medetur, insidiosè quidem latet, signaque laborantem saepiùs facilè fallunt, usquedum vultus ejus et pallidus et lividus, languor insolitus, inertia, perturbationesque corporis aliae diversae, medico morbum facilè monstrant.

Hepatitidem per *metastasim* inflammatione videlicet aut in lienem autem in cutem translatâ, interdum terminare sunt qui contendunt. Hisce judicibus, cutis hoc modo correpta speciem erysipelatis prae se fert; * crisin autem ejusmodi me-

* Bianchi hist. &c. tom 1mo. Part. vi. p. 4.

dicis ante oculos rarissimè versari; ne anceps equidem haereo.

Insularum Britanniarum incolae, haud aequè ac regionum calidiorum populi hepatitidi acutae obnoxii vivunt. Quin et, morbus in plagis calidis endemicus, in illos temperamento cholerico sanguineoque praeditos promptiùs impetum facit. Homines, aetateque adultos, prae foeminis infantibusque, ad morbum proclives esse insuper observandum est.

Hepatitis causas excitantes easdem ac phlegmasiae aliae, frigus videlicet, corpori quibuscunque modis applicatum; exercitationem corporis violentam; affectiones animi diversas; iram, pathemataque deprementia potissimùm; calorem ardentem diutiùsque perstantem; solis ardentis ictus; exinanitiones solitas (exempli gratiâ fluxum haemorrhoidem) suppressas; vim externam corpori illatam; ictus nimirum contusionesque facilè agnoscit.

Secretionem bilis cranii fracturis multùm affici Joannes Abernethy nos ritè monet.

Febres vel intermittentes vel remittentes, causam hepatitidi saepiùs dant. Morbum nos-

trum ex obstructionibus concretionibusque sive in hepate, sive in ductibus saepiùs pendere nullus dubito. Morbum à vermibus in hepate hospitantibus oriri, Van Swieten, cadavere à Nebello secto, benè inspecto credere videtur *. Hepatitis ortum à vomitu violento, morbisque canalis intestinalis interdum ducit. Georgius Cleghorn, M. D. in libello ejus eximio de morbis in Insulâ Minorcâ grassantibus, hepatitidem indole pessumâ in incolas hujus insulae qui aquam impuram hausere saevisse, nos certiores facit.

Inter causas hepatitidis excitantes, Doctor Girdlestone usum hydrargyri nimium ponit. A prae causis hisce omnibus hepatitidem excitantibus, intemperantia vel in usu liquorum fermentatorum stillatitiorumve, vel in usu ciborum plus justo organa stimulantium, longè longèque eminet.

Diagnosin latere hepatis concavo laborante, inter morbum nostrum pleuritidemque statuere saepenumerò difficilius est. In hepatitide, dolor, digitis sub marginibus costarum prementibus,

* In Nova Acta. Physico Medica, vol. v.

plerùmque multùm augetur, spiritus tractus tussim parùm ciet, etiamsi dolorem auget; tussisque ne dolorem ab initio quidem comitatur, at potius accessioni tardiùs celeriùsve supervenit. Inter hepatitidem gastritidemque faciliùs distinguendum est, propterea quod in hâc, dolor ad claviculam summumque dextri humeri abest, dum debilitas maxima nauseaque agrum premant.

Morbum de quo agitur, et enteritidem situ doloris, colicam pyrexiâ discernere liceat; nausea spasmo ductuûm biliariorum sese comitem praebet; hepatitide verò aegrotus, affectione hâcce prorsùs vacat; dolor huic sine remissione urget; et pulsus arteriarum celeres evadunt; situsque corporis recumbens ei semper maximè arridet; cum spasmo laborans trunco corporis genubus applicato, doloris potissimùm expers est.

Cadaveribus hepatitide interemptorum sectis, phenomena diversa conspicienda veniunt. Viscus partibus circumjacentibus omnibus saepiùs adhaeret, haeque adhaesiones, aegro situ corporis vario decumbente dolori plerùmque fuerunt. Tunicae visceris tàm robustae tàmque crassae

interdum evadunt, ut summâ cum difficultate perforari possint, et ruberrimæ saepiùs inveniuntur.

Quin et, viscus molem multùm variat.

Verum enimvero, cadavere hepatitide acutâ defunctorum inciso, suppuratio visceris inspicienti, ante oculos sæpissimè versatur. Hepar autem suppuratione correptum, interdum abcessibus parvis diversis obsidetur, interdum verò vomicam unam insignem quantitati puris magnae domicilium praebentem invenimus.

Quin et, fluidum hisce in abcessibus contentum naturâ diversissimâ gaudet: aliquandò speciem puris blandi prae se fert; aliquandò autem ob acrimoniam quae in eo inest, cartilagines costasque ipsas et erodit et etiam dissolvit Acrimoniae hujusce documentum insigne Jacobus Lind, M. D. libellì ejus lectoribus ante oculos ponit*. Quin etiam materia haecce pessumè interdum olet, Bontioque judice, morbi prognosis à qualitatibus hujus fluidi, abcessu aperto, saepiùs deducenda est. Hepatitidem in gangrenam

* Lind. diseases in hot climates, part I, chap. iv.

interdum desinere, et Morgagni* et Lind compertum habent; de hâc verò terminatione scriptores medici alii omnes prorsùs silent; signa autem insolita gangraenam hepatis parùm comitantur, ideoque de hâc affectione artis peritiores rarissimè malè judicant.

Et in hepatitide acutâ et in phlegmasiis omnibus aliis regimen antiphlogisticum strictè adhibendum est, et sanguinis detractione pro parte hujus regiminis jure habenda medicus praesidium utpote petat oportet, ob proclivitatem attamen visceris hujusce ad suppurationem subeundam, Lieutaud et alii nos dehortati sunt, ne sanguinem post diem quartam mittamus, nisi signa quaedam inflammationis propriora sese ostendant. Sanguis è vulnere magno largè et copiosè detrahatur, propterea quod de necessitate venae iterum pertundendae, ab effectu incisionis primae sanè judicandum est.

Irritationes omnes aegrum ritè evitare oportet, ideoque intestina prorsùs purganda veniunt. Causâ canalem huncce eluendi, medicis haud

* De sed. et caus. morb. epist. xxxvi.

paucis cathartica salina in hoc morbo prae aliis arrident, faustoque cum eventu in auxilium interdum vocantur. Verum enimvero, ductibus quibusdam ob inflammationem constrictione spasmodicâ ideoque congestis laborantibus, submurias hydrargyri cum pulvere radicis convolvuli jalapae, gummi resinave convolvuli scammoniae conjunctus, dosibusque plenioribus adhibibitus, votis medici certiùs respondebit, idcirco quia effectus ejus in duodenum, partemque tubi intestinalis superiorem reverâ edit, cum cathartica salina intestina crassiora in motum promptiùs cient. Quin et, si medicus inclinat ut sales medios adhibeat, alvo priùs usu calomelanos benè purgatâ, ad effectum operis ope horum salium postea certiùs ventum est.

De effectibus submuriatis hydrargyri in hoc morbo medendo, bonis idem animus est mihi et multis aliis scientiae medicinae longè longèque peritioribus; causâque sententiam meam tuendi verba Jacobi Currie de Nosocomio T. Guy:—
" I am as well convinced as I am of any medi-
" cal fact, that by the early and free administra-
" tion of calomel, I have saved many a pound

" of blood, which must have been taken away
" to alleviate the urgent symptoms of hepatic
" inflammation," et iterum " as in most cases
" calomel given in such doses (three or four
" grains every four or six hours, in proportion
" to the urgency), and at such intervals, proves
" considerably purgative, it might be concluded
" that its great effect here were entirely owing
" to its cathartic power; this is in a great mea-
" sure true, but only in a particular sense of the
" word cathartic, and therefore requires expla-
" nation. The bowels may be repeatedly clear-
" ed by other purgatives without much relief;
" and even calomel is often attended with little
" if any more advantage, if it passes very spee-
" dily through the intestines. The mode in
" which alone it proves effectual, is, by emul-
" ging the biliary ducts, and the evidence and
" measure of its salutary operation is the quan-
" tity of bile which it evacuates by stool; though
" its effects then be ultimately that of a cathar-
" tic, yet it is not simply as such that it is useful,
" but by acting specifically, and being (if I may
" be allowed an antiquated expression) a cho-

"lagogue or evacuant of bile. The general dis-
"tension of the liver is lessened by emulging it
"of its bile, which, at the same time that it is
"secreted in large quantity from the increased
"action of the Vena Portae, is prevented from
"passing freely into the duodenum, in conse-
"quence of the hepatic and common ducts par-
"taking of the inflammatory state. It amounts,
"I think, to a proof of this opinion, that even
"calomel fails if it pass through the bowels
"quickly; and that I have been obliged to assist
"its relaxing power on the biliary ducts, by
"joining it with opium and antimonial powder,
"especially the former, which I give to the
"amount of a grain or more every six hours, or
"as often as the urgency of the pain renders
"necessary *." Ventriculo plus justo irritabili, ideoque submuriatem aegriùs ferente, remedium hocce triturâ cum aquâ calcis, acido muriatico liberatum, et cum opio conjunctum, parùm rejici idem medicus expertus nos certiores facit.

* Saunders, page 333. Cit. auctori.

Sententia hujus medici in morbis hepaticis et in Indiâ et in hâc regione multùm exercitati, de virtutibus submuriatis in morbo nostro medendo, attentionem medicorum aliorum summo cum jure sibi vindicat.

Medicinam facientes, de viribus praeparatorum hydrargyri aliorum in hoc morbo curando, inter se dissident et discordant; ideoque opiniones eorum diversas in medium proferre supervacaneum foret. Hydrargyrum causâ systema totum pervadendi, frictione videlicet externâ adhibitum, effectus suos certiùs praestiturum esse, signis inflammationis sanguinis detractione alvique purgationibus antea remotis, verisimilius est. Hinc ni fallor ratio patet, quare medici hodierni plerique metalli praeparationes, exinanitionibus hisce factis, solummodò in auxilium vocant. Hydrargyrum frictione externâ in hoc morbo adhibitum, aegro prodesse, quum primum glandulae salivam secernentes in actionem citae fuerint, sunt qui nos docent. Jacobus Macgregor, M. D. contra ea, metallum pro aegro minimè ritè facturum esse, nisi medicus actionem glandularum diutiùs protrahat strenuè contendit, causa verunta-

men actionis harum glandularum stimulo hydrargyri aucta, explicatus difficillimos habet.

Glandulis duabus, liquores simillimos inter quos ope testium accuratissimorum discernere minimè penes chemicum est secernentibus, nobis verisimillimum apparet, stimulum quemcunque, qui unam ex iis in actionem praeter modum ciet, in alteram etiam pollere fas est concludere. Fac rem ita esse, hydrargyrum secretionem salivae augere omnibus liquet. Quaeritur igitur nunquid est causae quin effectus eosdem in pancreas edat? Nicotianum tabaci substantiaeque aliae, quae ad secretionem salivae augendam valent, scirrhum pancreatis saepiùs gignunt, hydrargyrumque succi pancreatici secretionem praeter modum promovere; ideoque quantitatem sanguinis majorem ad secretionem hancce auctam praebendam, necessariam esse, verisimillimum est. In hoc statu rerum, sanguis pro actione pancreatis auctâ, visceribus aliis parciùs suppeditabitur, propterea quod vasa eadem, (viz. arteria coeliaca,) fluidum vitale hocce et pancreati et hepati subministrant: ac si Doctor Saunders de sede hepatitidis acutae vera praèdicat, (medicus etenim hicce arterias

solummodò in hoc morbo laborare, sibi persuasum habet,) quin actio hepatis inflammatoria; fluxu sanguinis arteriosi in hoc viscus ex quibuscunque causis diminuto, plus minusve impediatur, nemo est, qui dubitat.

Verum enimvero, modum operandi alterum hydrargyro tribuere sanè liceat. Hepatitis in homines ad morbum proclives impetum saepiùs facit, saepiùs etiam ob rationem vivendi causasque alias diversas, conditionem hepatis morbosam jure suspectam habemus, ac in historiâ hepatitidis chronicae tradendâ, signa pathognomonica minimè semper morbum comitari, postea ritè ostendemus. Rebus ita se habentibus, hydrargyrus viribus singularibus propriisve praeditus, ad obstructiones tollendas multùm valebit, visceréque obstructionibus immuni, remedium idem ad secretionem sanam restituendam haud minùs utile evadet.

Sanguine ritè detracto, alvoque pro re natâ ductâ, epispastica regioni hepatis imposita multùm pro aegro faciunt. Medicus artis suae haud mediocriter gnarus, vesicatorium incautiùs maturiùsque impositum, viscus haud raró in suppura-

tionem corripuisse re compertum habuisse me certiorem fecit. Praeparationes antimonii vires calomelanos salutiferas multùm augere, insuper observare liceat.

Fotus regioni hepatis medicus adhibeat oportet. Diarrhoeâ biliosâ interveniente, ad usum catharticorum causâ vel fluxûs gradum sistendi, vel cursum ejus accelerandi, medicus minimè confugere debet; at potiùs ope diluentium mitium alvum moderatiùs laxam conservet. Epistaxis, haemorrhagiaeve aliae diversae, suâ sponte prorumpentes, hepatitide acutâ laborantibus saepiùs levamini sunt, ideoque sanguine è venis haemorrhoidalibus potissimùm tardiùs erumpente, sunt qui hirudines in auxilium commodè vocant.

In hoc morbo medendo, acidum nitricum de meliore notâ commendatum habemus; vires veruntamen hujus acidi in hepatitide acutâ curandâ, experientiâ minimè satis ratas habemus; remediumque, me judice, in morbi reliquiis tollendis solummodò valet.

Si quando, ob vires remediorum suprà dictorum deficientes, causasve alias, hepar in suppurationem rueret, signaque suppurationis pro-

pria, suprà etiam literis mandata sese ostendant; si visceris conditionem satis manifestam habeamus, abscessusque extrorsùm promineat; ne medicus se quidem cohibeat usquedum vomica claustra sponte perruperit; at potiùs materiam purulentam ope scalpelli educat. Tegumenta et etiam substantiam hepatis altiùs incidat, propterea quod vulnus magnum aegressum puris promptiùs praebens, aegro plurimùm proderit. Joannes Pringle, Eques Baronettus, aegri cujusdam historiam, qui, vulnere haud ritè dilatato, morti occubuit, in commentaria relatam habet. In hoc statu rerum, chirurgi est, incisione primò per musculos abdominales peritoneumque, dein per substantiam hepatis pro partis abcessûs pendentis magnitudine, factâ, pureque indies ritè abducto, à parte inferiore vulnus sanare. Vulnus curatu saepè difficillimum est. Viribus veruntamen aegri ritè sustentatis, tandem parte visceris minore potissimùm laborante, sensim convalescet. Abscessu verò viam sibi, aut in pulmones aut in intestina patefaciente, irritationes omnes evitandae sunt, spesque salutis in naturae viribus medicatricibus ponamus oportet.

Inflammatione activâ urgente, constitutio corporis consensu cum parte affectâ, potiùs ac impedimentis in functionibus ejus ullis aliis laborat, ideoque, actione inflammatoriâ cessante, aeger gradatim revalescet. Aegrotum tentationi morbi alterae obnoxium causas excitantes omnes cibos potusque stimulantes sedulò evitare oportet.

De Hepatitide Chronica.

Inter hepatitidem chronicam morbosque alios summâ cum difficultate distinguendum est; idcirco quia, affectionis hujusce signa tùm varia evadunt, tùm etiam symptomatis aliis insolitis haud paucis, sese comites exhibent. Morbum formam fallacissimam ab initio induere, insuper observandum est. Cullenus noster naturam morbi hujusce incertissimam in animo revòlvens, in libro ejus "*First Lines*" dicto, de eo penitus silet, propterea quod, diagnosin inter species hepatitidis duas accuratam statuere, vix ac ne vix quidem penes medicum est, symptomataque haud pauca ex iis quibus aeger laboravit pro signis morborum diversorum aliorum pathognomonicis ha-

berentur, nisi quod cadavere inciso, phaenomena similia in conspectum venissent.

Signa dyspepsiae solita, appetitus cibi videlicet varius, acor sensusque plenitudinis in ventriculo post cibum sumptum, vultus pallidus interdumque tumidus, morbi impetum praegrediuntur; symptomata morbis propria, sensus nimirum ponderis dolòrque in hypochondrio dextro obtusus pressu auctus; brachii dextri torpor, dolor ad acromion dextrum, interdum claviculam musculosque colli versus tendens; saepè numerò autem partium harum pruritus, signis dyspepsiae citiùs tardiùsve superveniunt. Si quando stomachus antea parùm laborasset, in hoc stadio morbi se malè habet, atoniamque, morbo hocce aegrotos tam insigniter prementem, facilè gignit; anorexia summa nauseaque manè urgent; vultus antea pallidus, colorem fuscum saepiùs induit, oculi hebescunt; tunicaque sclerotica colore flavo inficitur. Aeger languore lassitudineque oppressus, terroribus vanis commovetur, sopore necnon afficitur; somnus veruntamen vires parùm recreat, aegroque dormienti dira saepiùs visa sunt.

Spiritus saepiùs difficillimè trahitur; aegrotus tussi siccâ laboriosâque afficitur; interdum verò humida evadit, aegerque tussiendo primùm mucum, dein verò sputum purulentum rejicit; gingivae siccae duraeque evadunt, lingua sicca et alba; cutis arida duraque; urina parciùs justo redditur; sedimentum nigrum mucusque glutinosus matulae fundum petunt. Alvus interdum astringitur, interdum autem liquitur; sedes aliquandò colorem subflavum, aliquandò verò nigrum induunt, malèque olent; dejectiones quandoque mucosae, plus justo frequentes, quantitate deficiunt, eoque tempore abdomen et durum et tensum evadit.

Ab initio morbi pulsus arteriarum parùm affectus debilisve solummodò fit, morbo attamen ad finem vergente, hypochondrio dextro potissimùm dolente, plus minusve durus evadit; malumque vespere ingravescit. Morbo ineunte, hepar molem parùm auctum; progressu verò temporis, plus justo durescit; infra margines costarum descendit, modòque tactu facilè sentiatur. Aegrotus in latus utrumque decumbens, dolore afficitur; dextrorsùm tamen recumbens, hume-

risque paulisper elatis, angore magìs vacat: dorsum humerique in gibbum interdum tument.

In hoc stadio morbi aeger tympanitide interdum laborat, jecusque indurescit. Sanguis aut è naribus, gingivis, partibusque corporis aliis diversis erumpit; aut per anum saepiùs ejicitur, febrisque hectica gravis impetum facit *.

Quibusdam in exemplis symptomata longè longèque aliter se habent. In regione Indiae occidentalis, *Carnatica*, febris intermittens sui generis quaedam endemicè saepiùs grassatur, cui, remediis in specie hepatitidis hâcce indicatis, obviam eundum est; cadaveribusque hâc febre mortuorum incisis, jecora species easdem ac in hepatitide chronicâ prae se ferunt.

Quin et, auctor idem, Doctor Girdlestone scilicet, et alii de febre aliâ longèque diversâ verba faciunt; febris haecce dysenteriae chronicae typum primò induit; tumor autem hypochondrii dextri, domicilium puri praebens, indolem morbi veram citiùs clarè ostendit; tumorique huicce advenienti, ratione hepatitidi chronicae

* Heberden Comment. p. 250.

medendi in usum adhibitâ, solummodò occurrendum est.

Calorem in organa bilis secretioni inservientia plurimùm pollere, facilè agnosco; an autem plagae calidiores, affectionibus hepatis chronicis prae hâc regione tàm infestantur, quàm plerique olim sibimetipsis persuasum habuerint, necne, anceps equidem haereo. Morbum nostrum in incolas insularum harum impetum opinione frequentiùs facere, certo certiùs est. Quin calor vires causarum morbum excitantium in regionibus calidis graviores reddat, nullus sanè dubito; excitationem autem minorem morbum aequè gravem etiamsi forsan tardiùs gignere, adducor ut credam; causisque affectionum hepatis, in regionibus ferventioribus diversis ritè circumspectis, victûs rationem in crimine manifestiùs ac in insulis hisce ponere, penes nos reverâ foret. Rem ita se habere, de viribus diaetae in secretionibus augendis suprà tradita colligere liceat.

In regionibus calidioribus morbus in faeminas longè rariùs ac in homines impetum

facit*; ideirco quia, illae victûs ratione diversâ utuntur. Verum enim vero, si quando hepatitis chronica nostrates tentaverit, nec usus liquorum vel stillatitiorum, vel fermentatorum nimius, nec helluatio ac causa prorsùs diversa; substantiae videlicet nocentissimae quibus causâ vultum constitutionemque corporis et molliores et graciliores reddendi, acidis vegetabilibus largiùs haustis potissimùm utuntur, abdomenque praeter modum compressum, crimen plerùmque jure sustinent; morbusque faeminas nostras adoriens, causas alias ullas, praeter abusus ejusmodi; vitamque earum sedentariam vix ac ne vix quidem agnoscit.

Febribus intermittentibus diutiùs perstantibus, et hepar et lien scirrho saepiùs laborant; causa in aprico est, sanguis nempe in haec viscera stadio paroxysmi frigido urgente, quantitate nimiâ irruens, organa plus justo distendit, eoque modo ansas morbi facilè praebet.

Quod ad has causas quae in hoc morbo gignendo latiùs agunt quidem pertinet, inter hepati-

* Clarke's Commentaries, decad II. p. 551.

tidem acutam exponendam, verba de iis suprà fecimus, ideoque, res jam dictas hîc loci colligere supervacaneum foret.

Cadaveribus incisis, phaenomena quae sese ostendunt, magìs ac in specie morbi acutâ variant. Hepar partibus circumcingentibus adhaerens, inflammationem membranae ejus palam facit, aut viscus totum aut partes ejus diversae colorem albidum saepèque subcinereum induunt; quibusdam in exemplis, hepar molem augetur, partemque cavitatis abdominis magnam implet, ita ut viscera sanè multùm comprimat; aliis autem in casibus, jecur molem debitam minimè aequat. Jacobus Gregory M. D. de hoc morbo in praelectionibus suis disserens, hepatis unius mentionem fecit, quod libras octodecim pependit, alterius verò viginti uncias solummodò pendentis.

Verum enimvero, tubercula indole diversâ, cadavera hepatitide chronicâ defunctorum inspicientibus, ante oculos saepissimè versantur. Tubercula haecce interdum pisum verò nucem avellanam molem equant, incisaque, è substantiâ solidâ subflâvâ, albâve

constare videntur. Per substantiam hepatis totam plerùmque sparguntur, eâque de causâ viscus hocce praeter modum indurescit, rariùs molem plus justo auctum. Saepiùs minus ac in statu sano evadit; illa tubercula poros biliarios comprimentia, ansas ictero saepiùs praebent. Caeterùm species tuberculorum haecce, jecinora ebriosorum scirrhosa potissimùm format.

Species tuberculorum altera, per substantiam hepatis parùm aequè dispersa, superficiem versus saepiùs scatent, è substantiâ albâ opacâ solidâque componuntur; superficieque externâ plus minusve depressâ gaudent. Viscus tuberculis hisce obsessum, molem plerùmque plurimùm augetur, aegerque necnon ascite saepissimè laborat. Matthaeusque Baillie, M. D. et medicus et anatomicus expertissimus, materiâ inflammatione in his gignitâ ritè perspectâ, adducitur ut indoles scrophulosa in iis inesse credat. Genera tuberculorum alia scalpellum rarissimè patefacit.

Quin etiam, hepar haud rarò adeo flaccidum evadit ut digito facilè perforari possit. Hydati-

des superficiei hepatis externae interdum adhaerent. Jacoboque Lind, M. D. teste, viscus hocce suppuratione tuberculorum prorsùs erosum, speciem favorum prae se interdum tulit. Abscessus in hepate saepiùs insident; Bontius, Malpighiusque nos de historiis, in quibus saccus pauxillum liquoris saniosi, aquae in quâ carnes lavantur haud dissimilis continens, situm hepatis occupavit certiores faciunt. Hisce in exemplis, materia indole eâdem gaudens ἄνω τε καὶ κάτω ejecta fuit.

Hepatitis chronica sicuti species morbi acuta, aut in resolutionem aut in suppurationem desinere potest. Saepiùs ut tamen in hâc regione scirrho visceris viam sternit.

Scirrho hepatis laborantibus, vultus interdum pallidus, interdum flavus, timorem solicitudinemque testans, est, et stomachus et intestina dolent; regio hepatis nec non pulsat, propterea quod cursus sanguinis gradu majore minoreve impeditur, eâdemque de causâ lien molem augetur. Historiam in quâ, arteria splenica formam tortam propriam ob hepar obstructum exuit, arteriaque hepatica amplitudinem pollicis adepta est, in

commentario Morghani illustrissimo relatam habemus, visceribusque hisce, et uno et altero inter se intimè nexis; arteria scilicet eadem, coeliaca nimirum, ambobus sanguinem subministrante; sanguineque ab hoc in illud facilè transeunte, morbum illius hunc ad mutationes morbosas similes subeundas, proclivem redditurum esse, satis superque constat: eâdemque de cauâ, hepateve molem praeter modum aucto, visceraque alia premente, sanguis saepiùs è naribus erumpit, aegrotusve, aut haematemesi aut fluxu haemorrhoidum laborat. Sanguine ob has obstructiones tardiùs ac in statu corporis sano, è visceribus abdominalibus redeunte, lympha extravasata in abdomine facilè colligitur, vasisque lymphaticis ad fluidum hocce omninò absorbendum, plerùmque parùm valentibus, aeger hydrope promptiùs tentatur.

Morbi jecinoris hydropem saepiùs gignunt. Cursu solito sanguini venae portarum obstructionibus hepatis denegato, sanguis hicce aut in viscera repulsus, congestibus diversis causam dat: aut quantitate nimiâ per venam cavam cor versus

propulsus, organum vitale hocce gravissimè obruit.

Obstructio haecce secretionem bilis diminuit; hocque modo alimentorum conversionem in chylum impedit; corpore hoc modo necessáriò alimento orbato, vita parùm sustinere potest, aegerque vel illicò moritur, vel hydrope superveniente, è medio tollitur.

Partibus hepatis quibusdam solummodò scirrho affectis; aeger mortem aliquot annos protrahere possit. Morbum de quo agitur, diutiùs protractum, pulmonibus aut consensu aut pressu obesse facilè posse insuper observandum est. Ceterùm, typum hepatitidis acutae interdum sibi vindicat, formamque hancce induens, exitium aegro promptiùs affert.

Verum enimvero, prae morbis aliis omnibus quibus homines obnoxii vivunt, inter hepatitidem dyspepsiamque diagnosin statuere difficillimum quidem est; difficultatis hujus ratio minimè latet; hi etenim morbi et unus et alter, ab iisdem similibusque causis ortum facilè ducere possunt; hepateque se malè habente, ventriculus consensu saepiùs laborat, viceque versâ, morbi ventriculi

hepar facilè afficiunt. In hâc inclinatione rerum, symptomatis singulis solummodò perspectis, ne inter hos morbos quidem distinguendum est, ideoque animum ad signa omnia summâ cum curâ adhibeamus oportet. Si et symptomatis diversis suprà propositis, aeger laboret, et dolorem magnum apud scrobiculum cordis regionemque epigastricam pressu auctum, etiam sentiat; si morbo progrediente, calor augeatur, arteriaeque frequentiùs micent; si signa pyrexiae nec non superveniant, vesperèque ingravescant; si vena pertusa aegro plus minusve succurratur, sanguisque superficiem coriaceam albam ritè ostendat; si corpore variè inclinato, dolor vel perstet, vel magis urgeat, hepar morbo implicitum esse, doloremque et scrobiculi cordis et regionis epigastricae, ne concoctione ciborum pravâ ructibusve quidem, at potius consensui partium jure attribuendum esse, concludere meâ sententiâ fas est.

Actione hepatis morbosâ diutiùs perstante, effectibusve inflammationis visceris acutae parùm omninò sublatis, hoc organum saepiùs (ut suprà ostendimus,) clam cursuque celeri in stadium

morbi chronici pessimum scirrhum videlicet progreditur.

De affectione hepatis hâcce minimè adhuc ritè nobis disputatum est; ideoque causâ eam clariùs explicandi, historiam quae mihi artis medicinae rudimenta addiscenti, anno millesimo octingentesimo et sexto obvenit, in medium proferre liceat.

Virgo viginti tres circiter annos nata, tumorem parùm elevatum apud marginem lobi hepatis dextri anteriorem sentiebat; tumor hicce ei molestiae vix fuit; nisi quod ob duritiem summam, incrementumque ejus, mentis admodum anxiae fuit. Aegrae nostrae hepar suum scirrho laborasse iterùm iterùmque denunciatum fuit. Arteriae septuagesies et bis micuere, lingua sordibus parùm obducta fuit, cibi fastidium eam minimè cepit; noctes quiete placidâ egit; latusque in alterutrum commodè decubuit; venter ei constitit, eâque de causâ submuriatem hydrargyri pulveremque jalapae medicus dose plenâ praescripsit, remediumque, faecibus induratis copiosiùs dejectis, votis ei benè respondebat. Alvo, hoc modo purgatâ, hydrargyrum et tumori et

femoribus infricuit usquedum gingivae laborassent; actioque glandularum menses duas perpetuò sustentata fuit, priùs tumor, quàm diminutionem ullam subiit. Egrotâ effectus medicamenti plus justo sentientê et stimulo promptissimè parente, frictiones hydrargyri ferè omittebantur, vesicatoriaque per intervallum parti affectae saepiùs imposita fuere. His verò incassùm adhibitis, ad usum metalli iterùm decursum fuit, quod sex propè menses pro re natâ, in auxilium vocatum est, hocque tempore peracto, tumor prorsùs evanuit. In hoc statu rerum, aegra rus ivit, ibi vires citiùs collegit, et à morbo hucusque valet. Quin tumor, fluido electrico in usum adhibito, celeriùs discussus fuisset, animus mihi neutiquam pendet.

Affectionibus morbosis ejusmodi difficillimè quidem medetur, ideoque et perseverantiam, et attentionem medici summam jure sibi vindicant. Hydrope malis hepatis ansas praebente, ad catharticorum diureticorumque usum ritè confugiendum est; signa verò hydropis nequaquam sanè removeas, nisi morbo hepatis ritè succurritur. Calomelas aut cum pulvere radicis scillae mari-

timae, aut cum digitali conjunctus, remediis omnibus aliis jure anteponendus est, faustissimo cum eventu ad usum compositionis ejusmodi saepiùs decurritur. Si, morbo hepatis curato, paralysis in aegrum impetum fecerit, praesidium è fluido electrico petendum est, aegrotumque partem affectam ritè exercere oportet.

Ut quemadmodum ex victûs ratione vituperandâ, vitia hepatis pleraque originem ferè ducunt; sic, nisi in hanc rem attentio summa adhibita fuerit; omnia medicamenta medicique nisus strenuissimi, irriti invenientur.

SCRIPSI.

EXCUDEBAT C. STEWART.